

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.
Commentarii in materiam de peccatis
(1. 2., q. 88)*

Edición y notas por

EDUARDO MOORE, S.I.

* Al final del Comentario a la 1.2., q.71, a.6 (véase ArchTeolGran 2 (1939) 292), advierte Ruiz de Montoya:

“Quia non potest satis explicari natura peccati in communi nisi descendamus ad peccatum mortale et veniale in particulari quibus analogice convenit ratio peccati, opere pretium duxi huic præ cedenti quæ stioni de natura peccati secundum se, copulare quæstionem 88 et 89 de peccato mortali et veniali, quibus D. Thomas disputationem de peccatis claudit”.

Por eso, nosotros siguiendo el manuscrito, transcribimos ahora el comentario a la q. 88 de la 1.2. de Sto. Tomás. Dada su magnitud y complejidad, sólo ofrecemos ahora un trozo de este comentario.

Q. 88

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

ART. 1 : Utrum veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale.

Art.2 : Utrum peccatum mortale et veniale differant genere.

Ad utrumque articulum

**Disputatio de oppositione contra Deum
quæ constituit et distinguit mortale
et veniale peccatum**

Prius probanda fuisset distinctio mortalis a veniali peccato, de qua dicendum est dubio 7 et 8, nisi huius distinctionis explicatio supponeret eam oppositionem contra Deum quæ in peccato mortali reperitur simpliciter; nec novum est inter analogia principale analogatum deberi prius explicari.

Dubitatur 1^o:

Utrum peccatum mortale avertat a Deo et convertat ad creaturam tanquam ad ultimum finem

Idem disputabitur de veniali peccato, infra, dub. 11. Hæc quæstio fere coincidit cum alia, scilicet utrum ratione peccati mortalis, semper a peccatore diligatur creatura plus quam Deus.

Negat Adrianus, *Quodlibeto* 7, a.3¹, licet fateatur id aliquando evenire posse, quod late probat, sed eius argumenta reducuntur ad hæc:

1^{um}, quia contingit aliquem peccare ex ignorantia, imo existimare obsequium se præstare Deo ipso actu peccati, sicut et de tyrannis prædixit Christus Dominus, Ioan. 16 [2]; et constat in Paulo persequente christianos [Cf 1 Cor 15 9]; ergo qui sic peccat non amat creaturam plus quam Deum. PROBATUR consequentia, quia obiectum malum illius actus amplectitur propter Deum; ergo plus amat Deum.

2^o, quia si quicumque peccat mortaliter anteponeret creaturam Deo, sequeretur duo esse peccata diversæ speciei in eo qui furatur propter amicum: alterum quo amicum anteponit Deo, alterum quo transgreditur præceptum non furandi.

3^o arguitur: quia qui furatur propter utilitatem divitiarum non necessario anteponit Deo divitias; poterit enim habere firmum decretum amittendi vitam potius quam negandi fidem, et præterea idem homo vitam anteponit divitiis. CONFIRMATUR, quia sic contingere potest illum qui peccat mortaliter, nihilominus tunc tanti æstimare suum patrem, ut illius gratia omitteret peccatum si pater moneret, et præterea pluris æstimare Deum quam patrem; poterit enim ille amor parentis esse honestus et ad illius honestatem requiritur minoris fieri patrem quam Deum; ergo ille homo non magis amat obiectum talis peccati quam Deum.

4^o, quia qui peccant possunt habere talem affectum actualem erga Deum, ut si Deus tali peccato re ipsa destruendus esset et re ipsa amisurus suam beatitudinem, nullo modo peccarent; ergo pluris æstimant bonum Dei quam illud peccatum.

5^o, quia potest aliquis apud se decernere semel furari et non amplius, licet occurrant illi mille occasiones furandi, ne sæpius Deum offendat; ergo plus amat Deum [f.70] et eius amicitiam quam furtum, siquidem anteponit furtum Deo in unica tantum occasione, in reliquis omnibus postponit.

6^o, quia contingere poterit eum qui furatur propter utilitatem divitiarum, nihilominus etiam tunc quando furatur, talem affectum actualem habere erga Deum et divitias, ut virtute illius nunquam furaretur nisi speraret recuperare Dei gratiam, etiamsi extrema egestate premeretur; ergo talis pluris existimat Dei amicitiam quam divitias.

¹ ADRIANUS SEXTUS PONT. MAX. *Quæstiones quolibeticæ*, q.7, a.3: Padua 1522 (reproducción New Jersey, USA 1964) fol.38b, Tertio.

Nihilominus communis sententia docet eum qui peccat mortaliter constituere finem ultimum in creatura, et illam plus diligere quam Deum. Ita D. Thomas, hac q.88, a.1² et a.2 ad 1^{um}3 et q.89⁴ et supra, q.1, a.5 in *Sed contra*⁵ et a.7 ad 1^{um} 6; et *De malo*, q.7, a.1⁷; Altissiodorensis, lib. 2 *Summæ*, tract.28, cap.2 in quæstione de distinctione mortalis a veniali⁸; Albertus, 2 p., tract. 18, q.114, memb.4, a.1⁹; Allensis, 2 p., q.124, memb.2¹⁰; D. Bonaventura, 2, d.42, a.2, q.11¹¹; Ricardus, 2, d.42, a.3, q.1 et 2¹²; Durandus, ibi, q.6¹³; Scotus, 1, d.1, q.5¹⁴; Conradus¹⁵, Caietanus¹⁶, et communiter thomistæ hic et supra q.1, a.5, et 2^a 2^{ae} 1, q.24, a.10; Ricardus, *De differentia peccati mortalis et venialis*¹⁷

PROBATUR ex Sacra Scriptura. Nam, Ieremias 2 [13], ita Deus conqueritur: *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas* etc; Mt 10 [37]: *qui amat patrem plus quam me non est me dignus*, scilicet qui amore patris præcepta mea transgre-

² THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiæ*, 1.2., q.88, a.1 : ed. leonina 7, 132

³ ID. *Ibid.* 135b.

⁴ ID. *Ibid.* 141b.

⁵ ID., *Ibid.*, 1.2., q.1. a.5 *Sed contra* : Editio leonina, t.6, p.13a.

⁶ ID., *Ibid.*, q.1, a.7 ad 1 : ed. leon. 6, 23b.

⁷ ID., *De malo*, q.7, a.1 : ed.c. 23, 159s.

⁸ MAGISTER GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, lib.2, tom.2, tract.15, c.3, q.1 : Paris - Roma 1982, p.536, 36-40.

⁹ D. ALBERTUS MAGNUS, RATISBONENSIS EPISCOPUS, *Summa Theologiæ*, 2 p., tract.18, q.114, mem.4, a.1 ad 1 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.338b.

¹⁰ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2, 2 pars, Inquisitio 3 de speciebus peccati, Tract.1 : *De peccato veniali et mortali*, q.1, c.2, Florencia 1930, pag.286b (Colonia 1622, q.108, mem.2, n.272).

¹¹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.965a.

¹² RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros sententiarum*, 1.2, d.42, a.3, q.1 et 2 : Brescia 1591, 513s.

¹³ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariolorum libri quatuor*, 2, d.42, a.3, q.6, n.11, 14 : Amberes 1566, fol. 203,n.13.

¹⁴ JOANNES DUNS SCOTUS, *Quæstiones in librum primum sententiarum*, 1, d.1, q.5, n.3 : ed. Vivès, Paris, t.8 (1893) p.380b; ed. Vaticano, t.2 (1950) p.114.

¹⁵ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundæ... S. Thomæ Aquinatis*, q.88, a.1 : Venecia 1589, p.700a.

¹⁶ THOMAS AQ. *Opera Omnia cum commentariis Thomæ de Vio Caietani*, q.88, a.1 : ed. leon. t.7, p.133b 134a.

¹⁷ RICARDUS A S. VICTORE, *Tractatus de differentia peccati mortalis et venialis*: Venecia 1592, f.389.

ditur, ut ipse contextus indicat, et ibi exponunt communiter sancti, ut Chrysostomus¹⁸, Hieronymus¹⁹, Hilarius²⁰, et Glossa²¹. Et Ioannes cap. 12 [42s] multis principibus vitio tribuitur quod palam non confiterentur Christum, quia diligebant gloriam hominum plus quam Dei, scilicet gloriam ab hominibus acceptam plus diligebant quam gloriam quam a Deo sperabant, ut exponit D. Augustinus 2 *De Civitate*, cap. 29²², et eadem sententia habetur Ioanne 5^o capite, hoc autem inde colligit Evangelista, quia dissimulabant ne gloriam hominum amitterent. Et Genesi, 3 [6]. [Et Philip. 3, 19] dicitur venter esse Deus eorum qui gullæ dediti sunt; et Ephes. 5 [5] avaritia dicitur *idolorum servitus*, et 1 Reg. 15 [23] *quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere*. Idem colligitur ex Tridentino, ses. 6, cap. 5²³.

2^o PROBATUR ex Patribus: nam ita docet aperte D. Augustinus sæpe, præcipue 14 *De Civitate*, [f.71] cap. 28²⁴ et lib. 21, cap. 26²⁵, et 3 *De libero arbitrio*, cap. 24²⁶, ait peccatorem velle sibi ipsi esse Deum ut serpens mentiebatur Evæ *eritis sicut dii*; idem 1 *De doctrina christiana*²⁷ et 10 *De Trinitate*, c.10²⁸, et 89 *Quæstionum*, q.30²⁹; Chrysostomus, hom. 13 *Ad Philip.*³⁰; Athanasius in id *Philippensium* 3 [19] *Quorum deus venter est*³¹, et Opusc. *Contra Gentiles*³², et *De virginitate*³³; Gregorius, 1 *Regum*³⁴ in verba citata. Argumenta huius

¹⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Commentarius in S. Mt. Evangelistam*, Homilia 35 : PG 56 768s; 57 406s.

¹⁹ HIERONYMUS, *Commentarii in Evangelium Matthæi*, l.1, c.10 : CCL 77 74; PL 26 70 B.

²⁰ HILARIUS, *In Evangelium Mathæi commentarius*, cap. 10 : SC 254 248; PL 9 975-978 al sentido.

²¹ W. STRABUS, *Glossa ordinaria* [In Mt 10 37: PL 114 119s.

²² AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.1, c.29 : CCL 17 63ss; PL 41 77s.

²³ DS 1525; J. COLLANTES, *La fe de la Iglesia Católica* 836.

²⁴ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.14, c.28 : CCL 18, 451s; PL 41 436.

²⁵ ID., *Ibid.*, l.21, c.26 : CCL 48, 796s; PL 41 743.

²⁶ ID., *De libero arbitrio libri tres*, l.3, c.24 : CCL 29, 318; PL 32 1307.

²⁷ AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*, 1 : CCL 32 8; PL 34 21.

²⁸ ID., *De Trinitate libri XV*, l.10, c.10 : CCL 50 327; PL 42 981.

²⁹ ID., *De diversis Quæstionibus octoginta tribus*, q.30 : CCL 44A, 40; PL 40 20.

³⁰ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epistolam ad Philippenses commentarius*, Hom. 13 : PG 62 278 [Muy al sentido].

³¹ PSEUDOATHANASIVS, *Quæstiones in epistolas Pauli* : PG 28 758.

³² ATHANASIVS, *Oratio contra gentes*, 4 : PG 25 10s.

³³ PSEUDOATHANASIVS, *De virginitate sive de ascési*, 15 19 : PG 28 270 274s.

³⁴ GREGORIUS MAGNUS, *In librum primum Regum, qui et Samuelis dicitur*,

sententiæ afferentur prout exegerint sequentes conclusiones.

1^a CONCLUSIO: *Qui mortaliter peccat non semper directe nec expresse contemnit vel odio habet Deum nec directe et expresse creaturam aliquam amat plus quam Deum ita ut peccans velit directe illum excessum amoris creaturæ supra Deum.* Hæc conclusio evidenter ostenditur aliquibus argumentis Adriani, et non eget probatione. Quare, quæ de omni peccato deinceps dixerò, intelligenda sunt de appetitione implicita et indirecte volita et non de contemptu Dei speciali, sed de generali omnibus peccatis.

2^a CONCLUSIO: *Ille qui peccat mortaliter potest per alios actus quos simul habeat Deum et eius amicitiam magis amare quam creaturam propter quam peccat.* PROBATUR quatuor ultimis argumentis Adriani.

Quod si petas utrum iste amor quo peccator amat Deum et eius amicitiam semper sit amor concupiscentiæ an vero possit aliquando esse amor amicitiae, RESPONDEO ut plurimum esse tantum amorem concupiscentiæ, propter utilitatem quæ resultat peccatori ex Deo vel ex eius amicitia; et præterea aliquando esse amorem alicuius amicitiae incompletæ et diminutæ, qua Deum propter se ipsum peccator magis amat quam ullam rem creatam, nunquam tamen esse posse amicitiam perfectam, quia non excludit omne contrarium amicitiae nec totaliter anteposit omnibus.

3^a CONCLUSIO: *In eodem actu peccati mortalis potest amari Deus plus quam creatura propter quam peccatur, quamvis non cum debita proportione et appetitione amoris.* PROBATUR in eo qui ex ignorantia vincibili et indiscreto zelo aliquid facit quia existimat obsequium se præstare Deo; nam in tali actu motivum et finis est obsequium Dei, licet inordinata appetitione amatur; atqui motivum et finis plus amatur quam medium; creatura vero qua hic peccator abutitur [f.71v] amatur ut medium.

CONFIRMATUR efficaciter, quia ut ex professo probatum est supra, q.18, a.4, dub.4³⁵, ex communi sententia Doctorum contingere potest aliquem ex intentione honestissimi finis eligere medium quod scit esse malum, veluti si eligat periurium propter obtinendum ingressum religionis ad vacandum Deo in ea; aliqui in tali actu Deus et bonum honestum antepositur ipsi periurio et eius utilitati, quamvis non cum debito ordine et appetitione.

variarum expositionum libri sex, 1.5, 24s [In 1 Re 15 23] : CCL 144 569; PL 79 432s.

³⁵ Comentario que no conocemos.

Hæc conclusio intelligenda est, sicut præcedens, non solum de amore concupiscentiæ, sed etiam amicitiaæ imperfectæ; non vero de perfecto amore amicitiaæ.

4^a CONCLUSIO: *Ratione peccati mortalis, sub ea ratione præcise qua peccatum mortale est, plus amatur creatura quam Deus.* Hanc conclusionem, ita præcisam et formalem, intendunt tantummodo Sancti et Doctores superius citati, et convincitur evidenter, quia qui ex duabus rebus sibi propositis libere eligit unam relicta alia, plus amat illam quam eligit præcise et formaliter, quantum est in virtute talis electionis; sed quicumque peccat mortaliter (sive scienter sive ignoranter) libere eligit discedere a Deo ut suo appetitui satisfaciat; Ergo pluris æstimat illam creaturam cuius amor ratio est relinquendi Deum.

CONFIRMATUR 1^o, quia alias peccatum mortale non esset contrarium charitati, de cuius ratione est Deum antepone omnibus rebus, quod est contra dicta supra, q.71, a.4, dub.1 et 2³⁶, et dicenda in dub. sequenti.

CONFIRMATUR 2^o, quia qui mortaliter peccat non diligit Deum simpliciter super omnia; dicitur enim, Ioan. 15 [15. . .] *Qui diligit me mandata mea servabit*; Ergo alter amor est qui excludit hanc dilectionem Dei super omnia.

Hæc conclusio etiam intelligenda est de illo veniali quod solo defectu libertatis est veniale et alioqui foret mortale, ut infra dub.15.

Sed DICES: saltem quando quis scienter vel ignoranter committit peccatum mortale propter ipsum Deum, nulla datur creatura quam peccator amet plus quam Deum, ut si velit quispiam furari ut det eleemosy[f.72]nam propter Deum. RESPONDEO semper esse in huiusmodi actibus aliquod obiectum, saltem materiale, quod reddit malum actum et illud anteponitur legi divinæ prohibenti illud, ut in prædicto exemplo commoditas dandi eleemosynam quæ est in furto, anteponitur divinæ legi prohibenti furtum ac proinde anteponitur Deo.

Sed URGEBIS: iam ergo in præsentī casu amabitur Deus plus quam furtum, siquidem amatur ut finis, ut dictum est in 3^a conclusione, et præterea eodem actu amabitur Deus minus quam furtum ut nuper explicatum est; hoc autem videtur impossibile: RESPONDEO possibile esse Deum eodem actu simul amari magis et minus quam creaturam sub diversis rationibus Dei, sicut in præsentī actu Deus amatur magis

³⁶ Cf ATG 49 (1986) 302-311.

quam furtum in quantum Deo placet eleemosyna et Deus amatur minus quam furtum in quantum Deo displicet furtu. Fateor tamen hanc esse maximam monstruositatem et dissonantiam, quia appretiationes istas maxime dissident inter se, sed hoc nullum est inconveniens concedere in peccato, eo quod ex sua ratione monstruosum est, supra q.71, a.6, dub.1³⁷. Nec mireris uno et eodem actu amari aliquem plus et minus quam alium sub diversis rationibus: si enim filius quispiam decerneret occidere patris inimicum ut defenderet paternum honorem et vindicaret illius iniuriam, idque contra præceptum patris omnino detestantis vindictam privata auctoritate desumendam, ille quidem filius in tali decreto patrem, in quantum honore afficiendus est, amaret plus quam vindictam, siquidem propter patris honorem vult vindictam, et præterea eodem decreto pluris æstimaret vindictam quam patrem, in quantum prohibentem vindictam.

Hactenus dictum est quomodo peccans mortaliter creaturam amet plus quam Deum, unde facile est colligere quomodo peccans mortaliter constituat ultimum finem in creatura.

Sit ergo 5^a CONCLUSIO: *Peccans mortaliter non constituit creaturam finem simpliciter ultimum suæ personæ*. PROBATUR, quia finis ultimus est in quem persona refert se et omnia sua et in quo ultimo quiescit quasi in obiecto plenè satiante appetitum; sed qui furatur non semper refert ad furtum se et omnia sua nec illius appetitus satiatur furto; Ergo non semper est finis personæ utilitas furti. CONFIRMATUR, quia hoc non reperitur nisi in idolatria respectu idoli, quare in quocumque [f.72v] peccato mortali creatura esset ultimus finis personæ opus esset omne peccatum esse infidelitatem et existimare suam beatitudinem sitam esse in tali creatura possidenda.

6^a CONCLUSIO: *Peccans mortaliter aliquando facit Deum finem illius operationis quæ est peccatum, scilicet quando vel scienter vel ignoranter malum medium eligit ad bonum finem*, ut explicatum est in conclusione 3^a.

Sed in aliis omnibus peccatis est generalis quidam et transcendens modus quo per omnes actiones peccati quærimus Deum quatenus per illas omnes vel quærimus potentiam vel impunitatem vel securitatem vel eminentiam vel sufficientiam et abundantiam vel amari aut timeri aut honorari vel aliud quodvis bonum quod, in quantum tale est par-

³⁷ D. RUIZ DE MONTOYA, *De natura peccati actualis*, Dub.1, sec.2 : ATG 2 (1939) 242-248.

ticipatio divinorum bonorum et non reperitur plene et perfecte nisi in Deo, quod, postquam eleganter explicuit D. Augustinus 2^o *Confessionum*, cap. 6 subiungit: *Ita fornicatur anima cum avertitur a te et quærit extra te ea quæ pura et liquida non invenit nisi cum redit ad te. Perverse te imitantur omnes qui longe se a te faciunt et extollunt se adversum te. Sed etiam sic te imitando indicant creatorem te esse omnis naturæ; et ideo non esse quo a te omnino recedatur*³⁸.

Aliæ rationes sunt quibus peccata possumus ad Deum referre per alios actus bonos, de quibus dicemus infra, dub. 11.

7^a CONCLUSIO: *Peccati mortalis, sub ea ratione præcise qua peccatum mortale est, ultimus finis est creatura.* PROBATUR, quia ultimus finis operantis est qui plus amatur in tali operatione et præeligitur aliis; sed in peccato mortali sub ea ratione præcise qua peccatum mortale est, potius eligitur et magis amatur creatura quam Deus, ut explicatum est in conclusione 4; Ergo creatura est ultimus finis. Et sub hac ratione in Scriptura Sacra et Patribus, supra, creatura dicitur esse Deus et finis ultimus peccatoris et peccatorem illa frui. CONFIRMATUR, quia peccator tali operatione ut sic avertitur a Deo ultimo fine; Ergo constituit ultimum finem in creatura.

Cum hac conclusione coincidit quod alii dicunt finem personæ, in quantum mala operatione operatur, esse creaturam et non Deum.

Sed hinc nascitur difficultas quia, si creatura est finis ultimus hominis in quantum operatur tali operatione peccati mortalis, sequitur eum hominem qui simul habet plures actus peccatorum mortalium habere simul plures ultimos fines; consequens autem est falsum et contra D. Thomam, 1^a 2^a, q.1, a.5³⁹.

[f.73] Tangitur hic gravis quæstio, quæ ex professo disputari solet dicta q.1, a.5, et tractatur late in Zumel, q.71, a.6, disp.11⁴⁰. In præsentī satis erit distinguere duplicem acceptionem ultimi finis: alius est ultimus absolute respectu personæ et omnium operationum eius, alius vero est ultimus solum respectu unius operationis. Ille finis est absolute ultimus personæ et omnium operationum, quem aliquis amat quasi plene atque perfecte satiativum sui appetitus et in quo perfecte quiescat, non indigens ulla alia perfectione extra illum finem, et propterea suas

³⁸ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, l.2, c.6, n.14 : CCL 27 24; PL 32 681.

³⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1.2., q.1, a.5 : ed. leon., t.6, p.13.

⁴⁰ F. ZUMEL, OM, *In primam secundæ S. Thomæ Commentarii tomus primus*, q.71, a.6, disp.11 (especialmente, Conclusio 3, 4, 5, 6 y § Solutio difficultatum præcedentium) : Salamanca 1594, p.191-196 (189-191).

omnes operationes destinat ad illius finis consecutionem, et huiusmodi finis ultimus est tantum unicus unius hominis. Et plures adæquati quamvis possint esse plures partiales et forte plures disiunctive satiativi, si impossibiles sint et æqualiter amore voluntatis æstimentur; et ultimus finis hoc modo acceptus non ponitur in creatura ratione cuiusque peccati mortalis, ut constat ex conclusione 5.

Cæterum finis ultimus respectu operationis tantum, potest esse multiplex simul in uno homine habente actu plura peccata mortalia, v.gr. unum quo furari vult propter utilitatem pecuniæ, et alium quo vult occidere inimicum propter vindictam. Imo Deus ipse poterit esse finis ultimus eiusdem hominis, si simul cum illis actibus malis, habeat aliquem actum bonum, et tunc Deus erit finis personæ, non totalis sed partialis, scilicet simul cum aliis omnibus bonis quæ per actiones malas amantur.

Sed Zumel supra, q.71, a.6, disp.11, concl.2,⁴¹ contendit in homine habente plures actus peccatorum esse unicum finem ultimum cui et cuius gratia operatur omnes actiones malas, scilicet ipsummet hominem, nam omnia peccata proficiscuntur ex amore proprio, ut infra, q.77, a.4, et ita operatur homo peccans ac si esset ipse Deus, qui sui tantum beneplaciti et nullius præcepti a superiore impositi curare deberet.

Sed 1^o certum est finem formaliter et explicite amatum in omnibus peccatis non esse ipsum hominem peccantem, ut idem Zumel fatetur, alioqui omnia peccata fuissent eiusdem speciei physicæ, ratione illius finis.

2^o evidens est regulariter peccata habere hanc generalem et quasi transcendentem ordinationem, ut homo placeat sibi ipsi secundum suam inclinationem, [f.73v] quia bonum illud quod peccator amat, non amat eo quod sit bonum simpliciter, sed quia conforme est inclinationi suæ voluntatis vel appetitus quam in præsentem habet. Et hæc transcendens et virtualis inclusio finis aliquo modo similis est illi qua omnes actus virtutum, etiamsi in illis non ametur explicite Deus, ordinantur implicite et virtualiter ad Deum. Sed hac non obstante, sicut verum est diversarum virtutum fines et obiecta formalia esse diversa, ita verum est diversorum peccatorum esse diversos fines.

3^o difficultas est præcipue in quibusdam peccatis quæ homo videtur nec virtualiter referre ad seipsum, ut quando ignorans culpabiliter

⁴¹ F. ZUMEL, *Ibid.* : ed.c., p.189b-190.

malitiam operis, facit tamen propter Deum super omnia dilectum vel quando aliquis tam puro amore diligit inimicum ut sine ulla spe proprii emolumenti velit illi bonum ad quod obtinendum peccat, sed de his et aliis dicemus in prædicta q.77, a.4, vere includere eamdem virtuaalem rationem amoris suiipsius ut finis, quamvis magis latenter.

Ad argumenta Adriani, RESPONDEO. Ad 1^{um}, RESPONDEO ex D. Thoma, *De malo*, q.7, a.1, ad 10⁴² illum qui ex ignorantia culpabili et indiscreto zelo aliquid malum facit propter Deum, diligere Deum plus sub una ratione et minus sub alia, ut dictum est in 4^a conclusione, quemadmodum ille qui in gratiam amici ita incaute ense ludit ut illum interficiat.

Ad 2^{um} varias solutiones adhibet Medina, supra, q.1, a.5, ad ultimum⁴³, sed facile RESPONDERI potest eam non esse diversam speciem malitiæ, quia non transcendit omnem speciem peccati mortalis; sicut enim in quolibet peccato mortali non est peculiaris species inoboedientiæ præcepto divino, quia in omnibus reperitur ratio communis inoboedientiæ, ita in omni peccato non est peculiaris species anteponendi creaturam Creatori, quia hæc antepositio est ratio transcendens omnia peccata mortalia, in quantum propter creaturam violatur divinum præceptum.

Reliqua omnia argumenta non indigent alia solutione nisi hac distinctione consequentis; probant enim sæpe contingere posse ut ille qui peccat mortaliter [f.74] amet Deum plus quam creaturam amore concupiscentiæ vel amore amicitæ imperfecto, ut explicatum est in 3^a conclusione; verumtamen non probant in virtute peccati mortalis, in quantum mortale est formaliter et præcise, non anteponi creaturam Deo.

⁴² THOMAS AQ., *De malo*, q.7, a.1 : ed. leon. 23, 160, 18.

⁴³ B. de MEDINA, OP, *Expositio in primam secundæ Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis*, q.1, a.5 : Venecia 1602, p.14B.

Dubitatur 2^o: Utrum peccatum mortale sit contrarium charitati et quomodo

Huius proprius locus est ubi de Charitate, 2^a 2^{ae}, q.24, a.1 et 2⁴⁴.
Et præterea resolutio colligi potest ex præcedenti dubio.

Duo tamen videntur esse propria huius loci: primum est in omni peccato mortali esse quandam malitiam quæ habet aliquam rationem odii Dei, licet valde imperfectam et diminutam, quia in omni peccato mortali vult peccator indirecte creaturam anteponeere Deo, quod est valde malum Deo, ut explicabitur in duobus dubiis sequentibus, ac proinde est odisse Deum aliquo modo.

Secundum: nihilominus hæc malitia communis omnibus peccatis valde differt a malitia odii Dei: Primo, quia in odio vult aliquis directe malum Deo, in aliis autem peccatis mortalibus vult indirecte, nam qui vult furtum, prius anteponeit utilitatem pecuniæ honestati iustitiæ et consequenter anteponeit Deo ad quem ordinatur honestas iustitiæ. Unde sicut amor Dei includitur in omnibus virtutibus, ita odium Dei includitur in omnibus peccatis mortalibus non formaliter et directe, sed indirecte. Ita fere D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.24⁴⁵, Durandus, 4, d.16, q.2 ad 1^{um}⁴⁶. Secundo, quia odium Dei habet pro motivo aliquam apparentem bonitatem repertam in hoc quod malum conveniat Deo; at vero in aliis peccatis motivum est aliquod aliud bonum, quod non continet tantam iniuriam Dei.

⁴⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 2.2., q.24, a.1-2 : ed. leon. 8,174s.

⁴⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 2.2., q.23, a.8 : ed. leon. t.8, p.172-174.

⁴⁶ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.16, q.2 ad 1^{am} : Amberes 1566, fol. 336, n.9.

Dubitatur 3^o:

Utrum peccatum mortale sit destructivum boni
divini quantum est ex se. Ubi an possit,
quod ex se est, afferre Deo tristitiam.
Et obiter de peccato veniali.

Caietanus, 1 p., q.19, a.9, § *Ad hoc*⁴⁷, et supra, q.71, a.6, dubio ultimo⁴⁸, existimat culpam, quod in se est, destructivam esse Dei secundum eius proprium esse, si illud aliqua via destrui posset; idem sentire Antagonistæ apud Peltanum, cap. 11 *De satisfactione Christi*⁴⁹, et Ioannes de Medina, *C. de Poenitentia*, trac.3, qui est de satisfactione, q.1 prope medium⁵⁰; Bartolomæus Medina, 3 p., q.1, a.2⁵¹, ubi Suarez, disp. 4, sect.7 ad ultimum⁵², quod præ aliis maxime exagerat Vincentius, *De Christi merito*, q.5, pag. 303 et 305 et 306⁵³.

Primum et præcipuum fundamentum est, quia si culpa destructiva esset non divini boni secundum se sed tantum ordinis alicuius ad bonum divinum, iam culpa non privaret summo bono, ac proinde dari posset aliquod bonum maius propter quod Deus posset culpam eligere et iam nobis liceret. PROBATUR consequentia, quia si aliquod malum privat minori bono, licitum est velle illud malum propter aliud maius bonum, et hoc fundamento nititur discursus D. Thomæ 1 p., q.19, a.9⁵⁴. CONFIRMATUR 1^o, quia propterea potest Deus velle corruptionem, quia reparatio senescentium rerum quæ per generationem fit prærequirit corruptionem et hæc est maius bonum quam illud quod [quo?] privat corruptio. CONFIRMATUR 2^o, quia si dicas ea solum ratione non posse Deum velle malum culpæ, quia privat ordine ad bonum divinum, eadem ratione, inquit Caietanus, diceres Deum non

⁴⁷ THOMAS A VIO, 1 p., q.19, a.9, § *Ad hoc* : *Opera Omnia Sti. Thomæ cum commentariis Thomæ de Vio Caietani* : ed. leon. t.4, p.248, IV.

⁴⁸ ID., *In 1.2.*, q.71, a.6 : ed. leon., t.7, p.11.

⁴⁹ T. PELTANUS, SI, *De Christi Satisfactione et Maiestate*, c.11 : Colonia 1576, p.355.

⁵⁰ J. de MEDINA, *In titulum de poenitentia*, tr.3, q.1 : Salamanca 1549, f.118 B.

⁵¹ B. de MEDINA, *Expositio in tertiam Divi Thomæ partem...*, q.1, a.2 : Venetia 1590, p.14b : "Deinde, proverbium est et verissimum quidem, quod peccatum mortale quantum de se est destruit Deum et constituit alterum deum..."

⁵² F. SUAREZ, SI, *Commentariorum ac Disputationum in tertiam partem D. Thomæ tomus primus*, disp.4, sect.7, ad finem : Salamanca 1595, p.100 C-101 A.

⁵³ J. VINCENTIUS, *Relectio De habituali Christi Salvatoris Sanctificante Gratia*, q.5 : Roma 1591, p. 303, 305, 306.

⁵⁴ THOMAS A Q., *Summa Theologiæ*, 1 p., q.19, a.9 : ed. leon. t.4, p.247.

posse velle malum naturæ, ut corruptionem, quia privat materiali entitate, quæ dicit essentialiter ordinem ad bonum divinum⁵⁵.

2° probari potest, quia peccatum mortale ut sic anteponeat creaturam Deo et constituit ultimum finem in creatura; hoc autem est proprium Dei; Ergo aufert a Deo aliquid illi proprium ac proinde destruit Deum.

3°, quia peccatum mortale, quod ex se est, adscribit Deo *iniqui[f.75]tatem*, unde Ieremias, 2 [5] *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis quia elongaverunt se a me et ambulaverunt post vanitatem?*

4°, quia peccator omnis dicit in corde suo non esse Deum, teste Augustino in id Psalmi 52 [1]: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*⁵⁶.

5° PROBATUR, quia peccatum mortale quantum est ex se potest causare Deo tristitiam; Ergo potest auferre Deo beatitudinem; Ergo potest destruere Deum de cuius essentia est beatitudo. Antecedens videtur tradi Ephesios 4 [30] ubi Paulus ut terrorem incuteret et detestationem peccatorum, *Nolite, inquit, contristare Spiritum Sanctum Dei in quo signati estis in die redemptionis*; et Genesi 6 [6] inducitur Deus tactus *dolore cordis intrinsecus propter scelerum multitudinem*, et Ezechielis 16 [43] postquam Deus exprobraverat iudæis sigillatim plurima scelera ubi Vulgata legit *provocasti me in omnibus his*, sensus esse potest *in his omnibus contristabas*, ut ex 70 legit D. Hieronimus ibi⁵⁷ et in locum citatum ad Ephesios⁵⁸, ubi ad eandem tristitiam Dei explicandam affert id Micheæ 7 [2] *Heu mihi anima mea quia periit reverens*. CONFIRMATUR, quia amarum et acerbum molestum est ex se et tristitiam afferens; atqui peccatores sæpe in S. Scriptura dicuntur exacerbare Deum, ut Psalmo 10 [13] et 77 [40s 56] et 105 [33 43]; et Ierem. 32 [30] et Baruch 4 [7]; et apud Ezechielem Ierusalem propter scelera sæpe dicitur *domus exasperans* [2, 5 6 8; 3, 9] et peccatum idololatriæ dicitur *radix germinans fel et amaritudinem*, Deuteronomio 29 [18]; unde Oseæ 14 [1] *Pereat Samaria quoniam ad amaritudinem*

⁵⁵ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomæ*, 1 p., q.19, a.9, : *Opera Omnia Sti. Thomæ cum commentariis Thomæ de Vio Caietani* : ed. leon. t.4, p.248b.

⁵⁶ AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos* In Ps 52 : CCL 39 640; PL 37 615.

⁵⁷ HIERONYMUS, *Commentarii in Ezechielem*, 1.5 : CCL 75 198 447; PL 25 158B.

⁵⁸ ID., *Commentariorum in epistolam ad Ephesios libri III*, 1.2 : PL 26 546 C.

concitavit Deum suum. CONFIRMATUR, quia peccatum est nocivum Deo et opponitur Deo quod in se est; Ergo quod in se est potest Deo causare tristitiam.

Sed contra hanc sententiam urget grave argumentum, quia videtur sibi ipsi repugnare; implicat enim aliquid esse calefactivum alicuius rei et illam rem non esse calefactibilem ab illo; Ergo implicat peccatum esse destructivum Dei, nisi Deus destrui possit peccato. CONFIRMATUR 1^o, quia si Deus, propter suam infinitam perfectionem a nullo potest destrui; [f.75v] Ergo peccatum quantum est ex se non potest pertingere ad destruendam perfectionem divinam, quia peccatum quod ex se est non habet tantam vim quanta ad destruendum Deum requiritur. CONFIRMATUR 2^o, quia eadem propositio videtur esse per vocem activam aut passivam dicta "Deus non potest destrui peccato", "peccatum non potest destruere Deum"; Ergo si una est vera etiam altera.

Primo, huius difficultatis solutionem investigare debemus distinguentes vim destructivam naturalem et voluntariam: naturalem vim destructivam dico, ut eam qua ignis destruit aquam, et similem vim destructivam constat evidenter non reperiri in peccato respectu Dei; unde si qua virtus destructiva debet esse in peccato, illa erit voluntaria, id est, voluntas Deum destruendi.

Secundo, rursus hæc destruendi voluntas esse potest absoluta et efficax, aut conditionata et inefficax. Præterea, voluntas efficax, alia est efficax simpliciter, quæ non solum plene et absolute vult obiectum, sed etiam vim habet obtinendi effectum, sicut voluntas efficax movendi manum in homine sano et integro: et huiusmodi voluntatem efficacem destruendi Deum evidens est in nullo peccato esse.

Tertio, alia est voluntas efficax solummodo quantum est ex modo volendi obiectum plene et perfecte, cui tamen deest vis qua effectus volitus resultet ex volitione; et huiusmodi volitionem habere possunt non solum qui existimant in sua potestate positum esse quod vere non est, ut si quis existimaret se posse movere magnum saxum quod tamen vere non potest movere, sed etiam huiusmodi voluntatem plenam et efficacem ex parte sui poterit habere qui scit se non posse obtinere optatum effectum, sicut ii qui capiuntur ab hostibus ita plene et deliberate desiderant fugam et vindictam ut data potestate non opus esset alia pleniori voluntate ut fugerent aut vindictam sumerent.

Igitur tam plenam et efficacem voluntatem destruendi Deum cer-

tum est non reperiri in omni peccato mortali. Poterit tamen repe[f.76]-riri in aliquibus peccatis mortalibus: cur enim non poterit aliquis infidelis in tantam venire amentiam ut speret aliquando fore ut interficiat Deum, aut cur non poterit damnatus insanire tam truculenta rabie ut velit Dei destructionem voluntate plena ex parte sui, modo explicato, quamvis sciat Deum necessario esse omnis mali prorsus expertem?

Quarto, constat possibilem esse velleitatem seu voluntatem conditionatam aut complacentiam destruendi Deum. Et præterea constat similem voluntatem non inesse formaliter et expresse in omni peccato mortali. Difficultas autem est utrum virtualiter insit.

Quinto, contingit aliquem actum includi in alio virtualiter duplici modo: Primo, magis proprio et perfecto quando est inter obiecta necessaria connexio et consecutio propter quam si voluntas, bene cognita utriusque obiecti natura et connexione, versaretur formaliter et expresse circa utrumque obiectum, non posset unum amplecti et aliud excludere, quo modo in omni peccato mortali virtualiter includitur inoboedientia Dei. Hoc autem proprio modo virtualis inclusionis non includitur in omni peccato mortali complacentia aut velleitas destruendi Deum. Quod probo efficaciter quia, licet peccatum mortale avertatur ut ab ultimo fine et constituat ultimum finem in creatura anteponendo illam Deo, nihilominus cum hoc non habet necessariam connexionem destructio Dei. CONFIRMATUR quia, licet Deo sit essenziale attributum proprium illius esse summum bonum et ultimum finem qui debeat appeti, cæterum non est eius attributum essenziale, sed tantum denominatio prorsus extrinseca actu esse ultimum finem nostrarum operationum; at vero peccatum mortale non tollit a Deo primum sed tantum secundum, quod non necessario consequitur ex primo, sed dependenter a libertate voluntatis creatæ.

Sexto. Quodam modo minus perfecto virtualis inclusionis includitur in omni peccato mortali velleitas aut complacentia destruendi Deum. Et ratio est quia, si peccator deberet velle formaliter et expresse ea quæ magis consonant et correspondent suæ volitioni peccandi deberet illi pla[f.76v]cere Dei destructio, ne esset summum bonum Deus quem ipse non ut summum bonum amat, sed postponit creaturæ: qua ratione dicere poteris quemcumque filium inoboedientem patri virtualiter velle non esse filium sui patris.

Ex his omnibus colligitur CONCLUSIO hæc: *Peccatum mortale non est destructivum Dei quantum ad effectum, sed quantum ad affectum*

quendam complacentiæ aut velleitatis destruendi Deum in omni peccato mortali inclusum virtualiter, valde remoto et imperfecto modo inclusionis nuper explicato. Quo etiam modo virtualis complacentiæ intelligendum est ibi ad Titum capite 1 [16] *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Quare Caietani verba in rigore metaphysico accepta falsa sunt, verum res ipsa indicat temperato illorum rigore accipienda esse a quolibet sapiente, secundum explicatum sensum. Videtur autem expedire similem doctrinam non tradere in concionibus nisi explicatam, ne plebi occasionem præbeat erroris.

Hinc sequitur alio modo longe remotiori et imperfectiori esse destructivam Dei culpa venialis, quatenus habet pro fine actu creaturam, ut dicitur dubio 11, licet illam non anteponat Deo, nam Deus deberet esse finis illius actus.

Ad argumentum Caietani RESPONDEO falsam esse illam conditionalem quæ proponitur ut antecedens argumenti, quia ut liceat amare aliquod malum non sufficit dari aliud bonum maius quam bonum quo privat illud malum, sed requiritur præterea illud malum ordinari posse et subservire ad maius bonum, v.g. licet furtum privet bono iustitiæ, quod est minus bonum quam Deus ipse et quam bonum charitatis, nihilominus hoc non sufficit ut liceat furtum amare propter Deum aut propter charitatem, quia furtum non potest subservire ad consequendum Deum vel consequendam charitatem, cum ad hoc multo minus aptum medium sit quam mors ad consequendam vitam eiusdem animalis quod moritur. Et hoc intendit D. Thomas⁵⁹ docere in illa ratione alias difficili dum non dicit peccatum privare divino bono, sed privare ordine ad bonum divinum, et propterea nullum esse maius bonum propter quod honeste ametur.

[f.77] Ad confirmationem, RESPONDEO unius entis corruptionem secundum rectam rationem posse subservire et prodesse ad alterius entis productionem; at vero culpam non posse subservire ad maius bonum quam sit bonum quo privat, propter rationem modo dicendam. Ad 2 confirmationem, RESPONDEO omnia mala naturalia privare ordine naturali ad bonum divinum, sed non ordine amoris, et propterea posse ordinate amari propter maius bonum et propter bonum divinum; at vero culpa mortalis privat debito ordine amoris Dei, in illa enim Deus postponitur creaturæ, supra dubio 1, et propterea non posse amari propter Deum, nam si amatur propter Deum magis amatur Deus, ac

⁵⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1 p., q.19, a.9 : ed. leon., 4 247b.

proinde magis amatur et minus amatur Deus, quod inordinationem et monstruositatem continet. Fere idem est quod aliter explicatur sic: culpa privat debito ordine rationis, et ideo secundum rectam rationem non potest amari propter summam rationem quæ est Deus; at vero alia mala non privant ordine rationis, et ideo secundum rectam rationem possunt amari propter alia bona et illis deservire.

Ad 2, RESPONDEO non esse proprium Dei esse ultimum finem actu, sed aptitudine, ratione cuius ille solus debet esse ultimus finis, ut dictum est n° 5 et 6.

Ad 3 RESPONDEO 1°, nomine iniquitatis intelligi in eo loco, ut sæpe alibi, molestiam et malum poenæ, quasi Deus diceret (ut ibi exponit Hieronymus⁶⁰) *Quid vobis molestus fui*, ut dicitur Michæas 6 [3]: *Popule meus quid feci tibi aut in quo contristavi te*, etc. et Theodorus explicat⁶¹: "Qua iniuria vos affeci". RESPONDEO 2°, peccati non adscribi Deo iniquitatem nisi valde remoto et imperfecto modo virtualis velleitatis, ut explicatum est in conclusione, quia ita se gerit peccator cum Deo ac si Deus esset iniquus.

Ad quintum, RESPONDEO peccatum non esse ex se causativum tristitiæ in Deo nisi secundum quandam velleitatem afferendi Deo aliquod malum, remota quadam et minus propria virtualitate, inclusam in peccato mortali, eo modo quo dictum est de velleitate destruendi Deum, nec amplius probant verba S. Scripturæ. Et quidem Paulus ad Ephesios [4 30] ait aut Spiritum Sanctum appellat se ipsum, qui nomine et virtute Sancti Spiritus eos docebat et hortabatur, et petit ne ipsum Apostolum suis peccatis contristent, ut explicat ibi Magister⁶² vel secundum D. Chrysostomum⁶³ et Anselmum⁶⁴ [f.77v] ibidem tunc dicitur contristari Spiritus Sanctus cum aliquis hominum afficitur, dicente Domino: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis*; et Paulus [1] ad Thesalonicenses 4 [8]: *Qui spernit, non homines, sed Deum spernit*; vel Spiritus Sanctus tristari tunc dicitur cum recedit a nobis in quibus erat per gratiam et illi displicemus contemnentes salu-

⁶⁰ HIERONYMUS, *In Hieremiam prophetam*, l.1, 16 : CCL 74 13s; PL 24 715 A.

⁶¹ El ms dice sólo "Theodo", que puede ser Teodoro o Teodoreto: THEODORUS MOPSUESTENUS, *Commentarius in Michæam Prophetam*, c.6, vv 1-5 : PG 66 383s. THEODORETUS, episcopus Cyrensis, *Interpretatio Michææ prophetæ*, c.6, v.3 : PG 81 1775 A.

⁶² PETRUS LOMBARDUS, *In Epistolam ad Ephesios*, (4 30) : PL 192 207 CD.

⁶³ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epistolam ad Ephesios commentarius*, c.4, hom. 14 : PG 62 104.

⁶⁴ *Glossa Ordinaria*, In Eph 4 30 : PL 114 597.

taria monita illius, ut explicat Ambrosius⁶⁵ et Anselmus et consonat Hieronymus⁶⁶. Simili modo explicari debent verba citata Geneseos. Vide Augustinum⁶⁷ et Chrysostomum⁶⁸ ibi. Et præterea, reliquæ metaphoræ fellis, amaritudinis, exacerbandi, irritandi et exasperandi solummodo significant iram Dei concitari, inde sumpta metaphora, quia iram nostram concitatur commotio coleræ et melancholiæ, ac proinde tristitia et sapor amarus et acer.

Ad confirmationem ultimam dicitur dubio sequenti.

Dubitatur 4^o:

Utrum peccatum mortale sit malum Dei,
scilicet aliquo modo nocivum Dei.

Ubi quomodo opponatur Deo

Primo, constat peccatum mortale non esse malum intrinsecum Dei, scilicet quod auferat aliquod bonum intrinsecum Deo. Quæritur autem utrum saltem extrinsece sit malum Deo.

D. Thomas, 1 p., q.48, a.6c⁶⁹, ait, *Malum culpæ opponitur proprie bono increato non⁷⁰ secundum quod participatur a creatura, sed in se ipso*, sicut per amorem charitatis amatur Deus in se ipso. Idem docent Caietanus⁷¹, Bañez⁷² et alii ibi; Ægidius, 2, d.37, q.2, a.3, via 5⁷³; Cartusianus, ibidem, q.2⁷⁴, ex Ricardo.

⁶⁵ AMBROSIASTER, *Commentaria in XII Epistolas Beati Pauli*, In epist. ad Ephesios (4 30) : CSEL 81/3 108; PL 17 415.

⁶⁶ HIERONYMUS, *Commentarii in IV epistulas Paulinas (ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem, [ad Ephesios 4 30])* : PL 26 546 B.

⁶⁷ AUGUSTINUS, *In Heptateuchum locut. libri septem*, l.1 : Locutiones de Genesi [ad Gn 6 6] : CCL 33 382; PL 34 487.

⁶⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homilia 92 in c. 5 et 6 Geneseos* : PG 53 192.

⁶⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1 p., q.48, a.6 : ed. leonina t.4, p.497.

⁷⁰ S. Tomás dice non solum.

⁷¹ ID. *Ibid.* p.498.

⁷² D. BAÑEZ, OP, *Scholastica Commentaria in primam partem angelici doctoris D. Thomæ*, q.48, a.6 : Venecia 1585, col.696f.

⁷³ ÆGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum l. Sententiarum, Quæstiones*, d.37, q.2, a.3, via 5 : Venecia 1581, t.2, 560 A- B.

⁷⁴ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum II commentarii locupletissimi*, d.37, q.2 : Venecia 1584, p.553s.

PROBATUR primo, quia peccatum tollit Dei bonum extrinsecum, quod est amor, gloria et honor quem illi exhibere debemus. Ad Romanos 2 [23]: *Per prævaricationem legis Deum inhonoras*. CONFIRMATUR, quia nulla videtur esse ratio discriminis inter Deum et hominem propter quam homini bonum sit honorari ab hominibus et malum ab illis contemni et vituperari, etsi laudetur a Deo; at vero Deo non sit similiter [f.78] bonum honorari et malum contemni. CONFIRMATUR 2º, quia quod dicunt communiter, Deum non indigere nostro honore, videtur falsum; nam sicut homo non indiget honore ad suum bonum intrinsecum, sic Deus non ad intrinsecum, sed ad extrinsecum bonum indigebit honore. CONFIRMATUR 3º, quia si dicas Deum a se ipso tantum habere infinitam laudem et honorem, et ideo non indigere honore hominum; contra hoc videtur esse quia saltem extensive maior laus Dei erit si illi addatur laus hominum, sicut est maius bonum extensive totus mundus cum Deo quam solus Deus, ac proinde peccatum quod privat hac extensione boni divini erit Deo malum.

Secundo ARGUITUR, quia Deus ex charitate amat sibi honorem exhibendum a creaturis et odio habet contemptum et blasphemiam, et præterea nos ex charitate tenemur eadem similiter amare et odio habere propter Deum; Ergo Deo bonus est honor extrinsecus, et malus est contemptus extrinsecus. PROBATUR consequentia, quia amor amicitiae non inclinatur nisi ad amandum bonum amici et odio habendum eius malum.

Tertio ARGUITUR, quia peccatum non esset iniuria Dei, nisi auferret aliquod bonum Deo debitum. Ergo peccatum noxium est Deo.

Nihilominus sit 1ª CONCLUSIO: *Absolute et simpliciter peccatum mortale non est malum Deo, etiam extrinsece, scilicet Deo minime nocet nec aufert aliquod bonum extrinsecum Dei.*

PROBATUR primo Proverbiorum 9 [12]: *Si sapiens fueris tibi metipsum eris, si autem illusor, solus portabis malum*. Et Iob 22 [3] inquit Eliphaz: *Quid prodest Deo si iustus fueris aut quid ei conferes si immaculata fuerit anima tua*. [f.78v] Et cap. 35 [6ss] ait Eliud: *Si peccaveris quid ei noceris, et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei? Homini qui similis tui est nocerit impietas tua*. D. Augustinus, 12 *De Civitate*⁷⁵ quem refert et sequitur Alexander, 3 p., q.100, membro 8, a.1, *Vitium inquit quo resistunt Deo qui eius appellantur inimici, non Deo sed ipsis ma-*

⁷⁵ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, 1.12, c.3 : CCL 48, p.357 5-6; PL 41, 351.

lum est,⁷⁶ scilicet noxium, ut ipse Augustinus explicat statim. Similia docet Ambrosius, ad Ephesios 4⁷⁷ et Gregorius libro 16 *Moralium*⁷⁸, in citata verba Iob 22 ait Deum non indigere nostra iustitia, secundum illud Psalmi 15 [2]: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non es*. Quæ omnia testimonia Sacræ Scripturæ et Patrum simplicius et planius accipiuntur si dixerimus nec intrinsece nec extrinsece nocere Deo peccatum.

Secundo PROBATUR ratione, quia durius videtur dicere Deo esse aliquid extrinsece noxium, nam illud minueret extrinsecam beatitudinem Dei.

Tertio, quia si illud esset velle malum et noxium extrinsece Deo, deberet Deus aliqua licet levi tristitia affici de illo malo. Quod si ais: Deus incapax est tristitiæ, contra hoc est quia sicut non bene consonant hæc secundum rectam rationem, scilicet aliquam personam habere aliquid sibi noxium et non tristari de illo secundum qualitatem mali, ita non consonat secundum rectam rationem posse habere aliquid malum et non posse tristari de illo.

Quarto PROBATUR efficacius a priori et explicatur decisio difficultatis, quia implicat contradictionem peccatum aliquod committi nisi Deo sciente et permittente et volente permissionem peccati; rursus non potest Deus velle permissionem nisi propter se ipsum et propter suam gloriam, nam obiectum formale cuiusque volitionis divinæ est divina bonitas, sicut obiectum formale cuiusque [f.79] cognitionis divinæ est divina essentia; nunquam autem Deus vellet permissionem peccati propter suam gloriam, nisi permissio peccati vere conduceret ad suam gloriam. Quare, simpliciter et absolute, nihil mali contra divinum honorem resultat in re ex peccatis.

SECUNDA CONCLUSIO: *Nihilominus extrinsece nocivum et malum Deo est peccatum, præsertim mortale quod in se est, præcisa ordinatione Dei*; scilicet tale est peccatum ex sua natura ut extrinsece noceret Deo nisi Deus sua ordinatione peccatum necessario converteret in maiorem gloriam suam, ut nuper dictum est, et quamvis Deus convertat peccatum in maiorem gloriam suam, adhuc peccato aufertur ille

⁷⁶ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, l.2, p.2, inquis.1, tr.1, q.8 ; Quaracchi 1930, t.3, p.29 a.

⁷⁷ AMBROSIASTER, *Commentaria in XII Epistolas Beati Pauli*, in epistola ad Ephesios [4 30] : CSEL 81/3 108; PL 17 415.

⁷⁸ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, l.16, c.2 : CCL 143A 799; PL 75 1121.

amor et honor Dei qui esset ex actu virtutis quo privat illud peccatum. Et hoc videtur significasse D. Thomas, q.73, a.8 ad 2 his verbis: *Potest dici quod licet Deo nullus possit nocere quantum ad eius substantiam, potest tamen nocementum attentare in his quæ Dei sunt sicut violanda sacra et extirpando fidem*⁷⁹.

Rationes in principio adductæ probant tantum secundam conclusionem. Et præterea, ad primam RESPONDEO peccatum nunquam auferre cum effectu et in re tantum amoris et honoris Dei quantum illi accrescit ordinante Deo illius permissionem ad aliud maius bonum. Ad primam confirmationem RESPONDEO hominem non semper suas contumelias ordinare posse ad maiorem honorem suum, et quando ordinaverit, tunc non erunt illi in re et cum effectu noxio, sed tantum nocebunt quodammodo, scilicet in quantum considerantur præcisa ordinatione ad maiorem honorem. [f.79v] Ad secundam confirmationem RESPONDEO Deum non indigere honore nostro tum quia ex se habet infinitum honorem, tum etiam quia omnia quæ voluerit sive creare mundum sive non creare sive permittere sive non permittere blasphemias et alia peccata, potest ordinare ad maiorem suam gloriam. Ad tertiam confirmationem RESPONDEO: etiam permittente Deo peccata, esse maiorem gloriam Dei extensive, quam Deus inde elicit sua virtute, non virtute peccatorum.

Ad argumentum 2 et 3 RESPONDEO peccatum quod ex se est esse malum et nocivum extrinsece Deo, sed non est simpliciter nocivum quia necessarium est ut Deus impediatur eius nocimenta; verumtamen quod peccatum ex se nocivum sit, est sufficiens ratio ut sit iniuria Deo et ut ex charitate odio habeat.

Ex dictis colligitur quomodo peccatum mortale opponatur Deo ipsi, de quo videndus est Alexander, 2 p, q.100, membro 8, a.1⁸⁰, late de hoc disputans; et D. Bonaventura, quem refert et sequitur Cartusianus, 2, d.31, q.5⁸¹.

DICO 1^o: *Nulla oppositione opponitur proprie peccatum Deo. PROBATUR*, quia non contradictorie nec privative: sic enim destrueret Deum; nec contrarie, quia non expellit Deum ab eodem subiecto inhæsionis; nec relative, quia Deus et peccatum non sunt correlativa realia

⁷⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1.2., q.73, a.8 ad 2 : ed.leonina t.7, p.32b.

⁸⁰ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 1.2, p.2, inquis.1, tr.1, q.8 ; Quaracchi 1930 t.3, p.29s.

⁸¹ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II*, d.35, q.5 : Venecia 1584, p.340.

quamvis secundum rationem correlativa sint, non ut convenientia sed ut summe dissidentia, et ut recessus et terminus a quo receditur, ut supra q.71, a.6⁸².

DICO 2^o: *Peccatum actuale opponitur Deo quodammodo contrarie, [f.80] quia Deus dicitur esse in anima per gratiam et peccatum actuale gratiam expellit; et quodammodo etiam privative, quatenus peccatum est privatio ratione cuius Deus non est in actu peccati quasi finis illius actus.*

3^o *Opponitur Deo peccatum ut maxime distans ab eius perfectione, ut recte Alexander citatus ex Augustino 11 De Civitate*⁸³.

Dubitatur 5^o:

Utrum in peccato mortali sit malitia infinita.

Ubi etiam de veniali.

1^a sententia sine limitatione aut distinctione docet infinitam esse malitiam peccati mortalis et propterea non potuisse æqualem illius satisfactionem reddi nisi ab homine qui esset Deus. Hanc tradit ex D. Augustino, Udalrricus, quem refert et sequitur Dionysius, 3, d.20 prope finem⁸⁴, (locum autem D. Augustini invenire non potui). Hanc sententiam dicit esse multorum Ioannes de Medina, *C. de Satisfactione*, q.1, prope initium⁸⁵.

Alii expressius dixerunt malitiam peccati esse simpliciter infinitam, ut Anthagonistæ apud Peltanum, *De satisfactione Christi*, initio⁸⁶; et quidam alii Doctores apud Suarez, 3 p., q.1, a.2, disp.4, sect.7 § *Contra hanc rationem*⁸⁷. Quam opinionem dicit late defendi a Ioanne de Medina, sed locum ab eo superius citatum non reperio, scio tamen

⁸² D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis* : cf ATG 2 (1939) 235-292.

⁸³ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.11 : CCL 48 338s; PL 41 358s.

⁸⁴ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum III*, d.20, q.2 : Venetia 1584, p.175.

⁸⁵ J. de MEDINA, *In titulum de pœnitentia eiusque partibus commentarii*, tr.3, q.1, initio : Salamanca 1549, f.115 [sic, pro 116]r ab.

⁸⁶ T. PELTANUS, *De Christi Satisfactione*. . . c.11 : Colonia 1576, p.353.

⁸⁷ F. SUAREZ, *Commentarii ac Disputationes in tertiam partem divi Thomæ*, q.1, a.2, disp.4, sect.7 § *Contra hanc rationem* : Salamanca 1595, p.96a-98b.

oppositum omnino tradi ab eodem Ioanne de Medina nuper citato.

Denique, favent multi Doctores graves qui dicunt venialem culpam [f.80v] excedi a mortali in infinitum.

Præcipuum fundamentum consistit in argumentatione calculatoria, quia eo gravior est iniuria quo maior est dignitas personæ offensæ; sed dignitas Dei est infinita; Ergo peccatum est iniuria infinitæ gravitatis. CONFIRMATUR primo, quia in Deo sunt infinitæ perfectiones, quibus omnibus contrarium est peccatum mortale, et sunt infinitæ rationes propter quas turpe est offendere Deum, quæ omnes gravitatem peccati augent. CONFIRMATUR 2^o, quia si quis velit occidere duos homines duplo maiorem culpam admittit quam si unicum velit occidere. Quod si velit occidere mille homines millies erit gravior culpa; Ergo si optet occidere infinitos homines, erit infinita culpa. Rursus hac tota latitudine malitiæ maior est offensa Dei et contemptus illius; Ergo est infinita simpliciter. CONFIRMATUR 3^o, quia a peccante cognoscitur bonitas Dei ut infinita, et voluntas peccantis fertur contra illam, etiam ut infinita est; ergo habebit malitiam infinitam. 4^o CONFIRMATUR, quia simili ratione probatur meritum Christi Domini fuisse infinitum, quia erat a persona infinita; atqui sicut personæ dignitas auget meritum eiusdem personæ, ita auget gravitatem iniuriæ quæ contra illam personam committitur.

ARGUITUR 2^o, quia si malitia peccati esset finita posset purus homo reddere Deo satisfactionem æqualem, contra D. Thomam, 3 p., q.1, a.2 ad 2⁸⁸, et alios Doctores infra citandos qui ex infinitate peccati probant satisfactionem illius impossibilem esse puro homini.

3^o, quia peccatum, quod in se est, destruit Deum; Ergo continet infinitam malitiam siquidem, quod in se est, aufert infinitum bonum.

4^o, peccatum meretur pœnam infinitam, scilicet æternam, Ergo est infinitum.

5^o, quia peccati mortalis malitia infinite excedit malitiam venialis, siquidem infinita venialia non continent tantam malitiam quantum unicum mortale; Ergo habet malitiam infinitam.

Vera sententia est *malitiam peccati mortalis non esse infi[f.81]nitam simpliciter, sed secundum quid*, unde D. Thomas infra, q.87, a.4c⁸⁹, licet absolute dicat peccatum esse infinitum in quantum avertit a Deo, nihilominus statim addit propterea respondere peccatis pœnam infi-

⁸⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 3 p., q.1, a.2 ad 2 : ed. leon., t.11, p.10b.

⁸⁹ THOMAS AQ. *Summa Theologiæ*, 1.2., q.87, a.4c : ed. leon., t.7, p.125.

nitam, scilicet amissionem Dei; constat autem hanc privationem beatitudinis non esse infinitam simpliciter et formaliter in se ipsa, sed tantum obiective, quia est de obiecto infinito, sicut beatitudo nostra non est infinita simpliciter et in se formaliter, sed tantum denominative extrinsece ab obiecto infinito, atque in hoc sensu optime explicat D. Thomam Conradus, dicto a.⁴⁹⁰. Præterea D. Thomas, 3 p., q.1, a.2 ad 2⁹¹, non dixit esse infinitam malitiam peccati, sed habere *quandam infinitatem ex infinitate divinæ maiestatis*, et ideo Caietanus defendit ibi⁹² et Scotus 4, d.50, q.6⁹³ et expressius Ioannes de Medina *Codice de Satisfactione*, q.1, col. 2 et 3⁹⁴ ait peccati malitiam nec quoad speciem nec quoad intensionem aut durationem actus esse infinitam nec ex obiecto infinito recipere infinitatem. Idem docet Peltanus *De satisfactione Christi*, cap. 11, ad 1⁹⁵, Suarez nuper citatus⁹⁶, et communiter iuniores. Idem videtur sentire D. Bonaventura 3, d.20, a.3, q.3 et 4⁹⁷, dum ex infinitate personæ offensæ non colligit infinitam esse culpam sed tantum colligit esse summam culpam et excedentem omnem satisfactionem creatam. Eandem sententiam videtur supponere Gabriel, 3, d.24, q.1 prope initium⁹⁸.

1^a CONCLUSIO: *Non est infinita simpliciter malitia peccati etiam qua ratione avertit a Deo*. PROBATUR, quia malitia peccati formaliter consistit in privatione eius rectitudinis et honestatis quæ deberet esse in tali actu, supra, q.71, a.6, dub.3⁹⁹; sed rectitudo et honestas quæ deberet esse in quolibet actu peccati est simpliciter finita; Ergo illius privatio est simpliciter finita. PROBATUR consequentia, quia quantitas privationis sumitur ex quantitate formæ qua privat [f.81v] et ex

⁹⁰ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundæ... S. Thomæ Aquinatis*, q.87, a.4: Venecia 1589, p.687s.

⁹¹ THOMAS AQ. *Summa Theologiæ*, 3 p., q.1, a.2 ad 2 : ed. leon., 11 10b.

⁹² THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomæ*, 3 p., q.1, a.2, XI : ed. leon. Operum Sti. Thomæ, t.11, p.12b.

⁹³ IOANNES DUNS SCOTUS, *In librum quartum Sententiarum*, d.50, q.6 : ed. Vivès, t.21 (1894), p.573.

⁹⁴ J. de MEDINA, *In titulum de pœnitentia eiusque partibus commentarii*, tr.3, q.1 : Salamanca 1549, f.115 [sic pro 116]r-v D-F.

⁹⁵ T. PELTANUS, SI, *De Christi satisfactione et maiestate*, c.11, ad 1 : Colonia 1576, p.358s.

⁹⁶ Véase nota 87.

⁹⁷ BONAVENTURA, *In 4 libros Sententiarum*, 3, d.20, a.un., q.3 y 4 : Quaracchi 1887, t.3, p.423a 425a.

⁹⁸ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.3, d.20, a.1, Notabile : ed. Tubinga, t.3 (1979), p.331.

⁹⁹ Cf ATG 2 (1939) 346.

quantitate debiti quo subiectum deberet habere formam. CONFIRMATUR, quia propterea tenebras non dicis esse infinite malas, quia lux qua privant non est infinitum bonum.

Sed dicet aliquis hanc rationem probare malitiam peccati esse finitam sub ea tantum ratione qua versatur circa obiectum malum ut circa furtum et adulterium. Nihilominus si bene perpendatur efficaciter probat esse finitam malitiam peccati qua ratione avertit a Deo summo bono, quia peccatum non avertit a Deo nisi quatenus avertit a recto dictamine rationis et ab honestate debita actui, unde sicut in actum honestum et in dictamen rationis rectæ non refunditur infinita bonitas quia tendat ad Deum ut ad finem, sic etiam privatio et aversio a Deo quatenus Deus deberet esse finis huius actus et huius personæ non accipit infinitam malitiam ex infinito obiecto a quo recedit. CONFIRMATUR, quia malitia peccati privat bonitate quæ realiter deberet esse in voluntate ex suppositione quod operatur (vel saltem deberet esse interpretative); sed nulla bonitas infinita debebat realiter afficere voluntatem; Ergo non est infinita malitia et privatio peccati.

Huius rationis vis explicatur in odio Dei quod formaliter et directe avertit a Deo, ut idem a fortiori colligamus circa reliqua peccata. Nam odium Dei non sumit ab obiecto infinitatem, quia obiectum non confert aliquid in actum nisi secundum capacitatem potentiæ et modum tendendi in obiectum. Propterea namque amor Dei in nobis non est infinitæ bonitatis, quia licet obiectum sit infinitum et quod in se est posset causare amorem infinitum, nihilominus voluntas nostra quæ est efficiens causa saltem partialis amoris Dei habet potestatem finitam, et ideo illius actus et modus tendendi in obiectum finitus est ex sua natura, unde etiam odium Dei non erit infinite malum, licet ex parte obiecti sit infinita malitia in aversione directa ab infinito bono. CONFIRMATUR, quia gravitas peccati augetur et minuitur ex maiori aut minori cognitione malitiæ, infra, q.76, a.3 et 4. Cum autem valde limitata sit in nobis cognitio boni divini et malitia peccati, fit ut amor et odium Dei finita sint.

Secundo PROBATUR peculiariter malitiam peccati non esse simpliciter infinitam quoad suam speciem, quia illa sola species erit infinita simpliciter in genere malitiæ quæ perfectissima fuerit in ratione malitiæ et continuerit formaliter vel eminenter reliquas omnes species malitiæ, sicut Deus propterea infinitus est in genere entis quia est perfectissimum ens et eminenter continens omnia entia; sed nulla est species malitiæ quæ eminenter contineat reliquas omnes, nam si ali-

qua esset, esset maxime odium Dei quod est peccatorum maximum; hoc autem non continet eminenter reliquas omnes species peccatorum, quia non causat illas, quod requiritur ut contineantur eminenter in odio; at vero furtum, adulterium et alia peccata quando sunt præcise secundum suam speciem non causantur ab odio Dei et tantum includunt virtualiter aliud quoddam genus odii commune omnibus peccatis, de quo dictum est in dubio 2. Notandum tamen est odium Dei aliquo modo esse infinitum in genere malitiæ, quia est maxima malitia ex suo genere, sed hic modus infinitatis non est peculiaris peccato: sic enim etiam homo est infinitus in genere animalis, quia est perfectissimum animal.

Tertio PROBATUR peculiariter peccati malitiam non esse simpliciter infinitam quantitate et quadam veluti intensione gravitatis, quia infinito nihil potest esse maius nisi includat illud et aliquid aliud, ut probatum est in physicis; sed quocumque peccato aliud potest esse gravius [f.82v] ratione altioris præcepti violati aut propter maiorem cognitionem malitiæ vel propter alias circumstantias aggravantes; Ergo nullum peccatum est infinitum. CONFIRMATUR 1^o, quia si infinita veluti intensio gravitatis sumeretur ex aversione a Deo, omnia peccata essent æqualia quia omnia habent hanc aversionem. CONFIRMATUR 2^o, quia infinita non possent per communem aliquam mensuram commensurari; Ergo non potest unum esse maius alio nisi includat aliud. CONFIRMATUR 3^o, quia licet unum infinitum possit esse maius alio sub ea ratione sub qua non est infinitum, sicut calor infinite intensus perfectior esset frigore infinite intenso, quia calor perfectioris speciei est quam frigus, adhuc tamen calor infinitus non esset intensior quam frigus infinitum; sic ergo, si peccatum est infinitum in quadam quasi intensione gravitatis malitiæ, non poterit unum peccatum esse magis intense grave quam aliud. Denique conclusio hæc magis ostendetur solutione argumentorum.

2^a CONCLUSIO: *Malitia peccati mortalis est infinita secundum quid scilicet infinite superans reliqua omnia mala.* Etenim mala naturæ, ut tenebræ et corruptio, et mala pœnæ homini inflictæ, et culpæ omnes veniales, hæc inquam omnia, in unum collecta et infinities repetita, non adæquabunt malitiam peccati mortalis, quia est altioris ordinis, ut magis explicabitur ad 5.

Si petas unde provenit culpæ mortali esse summum malum, RESPONDEO provenire, quia est contra Deum infinite bonum et dignum infinito amore, quare iam a persona offensa participat infinitate se-

cundum quid, ut docuit D. Thomas supra. Vide dicenda in dubio sequenti.

Ad argumenta initio proposita, RESPONDEO ad 1: distinguo antecedens, nam licet crescat culpa crescente dignitate personæ offensæ, sed non crescit [f.83] quasi per gradus æquales correspondentes dignitati personæ, sed quasi per gradus proportionales. Quasi per gradus dico, quia proprie non sunt gradus, sed sæpe sunt diversæ speciei et aliquando actus diversi numero. Et idem constat aperte in intellectione quæ tanto perfectior est quantum perfectius obiectum formale habuerit, et nihilominus non est infinite perfecta visio beata cuius obiectum formale est divina essentia.

Ad secundam confirmationem, RESPONDEO non esse millies gravio-rem malitiam velle mille homines occidere quam velle occidere unum, quia non ita plene et distincte cognoscitur obiecti malitia nec ita plene fertur voluntas in singulos homines occidendo sicut fertur quando vult occidere unum solum.

Ad tertiam confirmationem, DISTINGUO antecedens: nam peccans cognoscit quidem bonitatem Dei esse infinitam et vult offendere Deum infinitum et vult transcendere illam infinitam distantiam quæ est inter creaturam et creatorem, et constituere creaturam supra creatorem; nihilominus tam cognitio quam volitio non fertur in has infinitates modo proportionato et adæquato, sed modo finito et imperfecto; si autem aliquis comprehenderet Deum et præterea haberet volitionem infinitam offendendi Deum, illud peccatum reciperet totam malitiam quam obiectum potest causare. Actu, non solum creato intellectui impossibilis est comprehensio Dei, sed etiam cum visione Dei et multo magis cum comprehensione, impossibile est peccatum quodcumque, etiam veniale, nedum infinitum peccatum.

Ad quartam confirmationem RESPONDEO personæ operantis dignitatem augere meritum operis, non intrinsece influendo meritum operi intrinsecum, sed tantum extrinseca imputatione augendo valorem meriti propter denominationem extrinsecam a persona operante, et ideo valor meriti potest in infinitum crescere, licet opus ipsum et potentia [f.83v] operans finita sint; at vero obiectum nullam bonitatem aut malitiam aut meritum confert actui nisi in quantum actus realiter versatur circa illud, unde si actus modo finito tendit in obiectum, ab illo accipiet bonitatem aut malitiam finitam.

Sed DICES, quare illa denominatio extrinseca quæ desumi potest a

persona infinita quæ offenditur, nihil confert ad malitiam augendam sicut confert denominatio extrinseca desumpta a dignitate personæ operantis ut tribuat infinitum valorem merito. RESPONDEO rationem esse, quia persona quæ offenditur nihil confert malitiæ nisi ut obiectum et non est obiectum in quantum extrinsece denominat actum sed in quantum actus versatur reali tendentia circa illam: at vero dignitas personæ est ratio pluris æstimandi personam, et æstimatio personæ est ratio æstimandi opus.

Sed instaurari potest difficultas, quia quamvis dignitas personæ quæ offenditur non augeat malitiam nisi in quantum est obiectum, nihilominus indignitas personæ offendentis augebit gravitatem malitiæ et iniuriæ, non ut obiectum sed denominatione extrinseca ac proinde, cum creatura infinito excessu distet a dignitate creatoris, inde habebit iniuria quandam gravitatem extrinsecam simpliciter infinitam et dignam infinita pœna, sicut meritum Christi Domini habet valorem infinitum ab infinita dignitate personæ extrinsece et non ab obiecto cognito et voluto. Sed RESPONDEO negando consequentiam. Discriminis autem rationem magis oportune examinabimus infra, q.73, a. ultimo, fine.

Ad 2^{um} argumentum RESPONDET bene Peltanus, *De satisfactione Christi*, cap.11, § *Sed dixeris*¹⁰⁰, et Suarez, 3 p, q.1, a.2, disp.4, sect.7, § *Contra hanc rationem*,¹⁰¹ D. Thomam inde probare æqualem satisfactionem peccati reddi non posse a creatura, quia dignitas satisfactionis non crescit ex dignitate personæ cui redditur sed ex dignitate personæ satisfaciens; at vero gravitas peccati crescit ex dignitate personæ offensæ, quare ut satisfactio sit æqualis iniuriæ, oportet dignitatem personæ satisfaciens habere proportionem cum dignitate personæ offensæ, quam proportionem habere non potest persona creata quantumvis grata et sancta sit.

DICES hunc excessum recompensari ex infinitate obiecti quæ est in opere bono. RESPONDEO hanc eandem infinitatem obiecti esse in peccato et rursus aliam ex indignitate personæ, et ideo in hac meritum personæ creatæ exceditur a peccato, qui excessus inde constat, quia si peccatum haberet illam gravitatem ex obiecto infinito et non cresceret

¹⁰⁰ T. PELTANUS, SI, *De Christi Satisfactione et Maiestate*, c.11 : Colonia 1576, p.365.

¹⁰¹ F. SUAREZ, *Commentarii ac Disputationes in tertiam partem divi Thomæ tomus primus*, q.1, a.2, disp.7, sect.7 § *Contra hanc rationem* : Salamanca 1591, p.96 C-100 B.

ex distantia personæ offendentis a persona offensa, sed esset æqualitas inter has personas ut est inter personas creatas, tunc satisfactio non excederet iniuriam in infinitum; ergo si additur iniuriæ alia gravitas ex distantia personæ offendentis, hanc gravitatem non adæquabit satisfactio.

Sed INSTABIS: hæc gravitas ex distantia personæ est simpliciter finita; Ergo crescente magis et magis perfectione quæ ex obiecto, conatu, et intensione redundat in satisfactionem poterit adæquari. RESPONDEO negando consequentiam, tum quia totum hoc incrementum vix aut nullo modo sufficit ut adæquet gravitatem iniuriæ præcise considerata ut est contra obiectum infinitum, unde nihil illi superest ut recompenset distantiam personæ, tum etiam quia est altioris ordinis illa gravitas quæ sumitur ex distantia personæ.

Ad 3^{um}, dictum est in dubio 3 non omne peccatum esse destructivum Dei proprie, sed tantum quadam remota illatione velleitatis. Et præterea RESPONDEO, licet peccatum aliquod plenum et absolutum affectum contineret destruendi Deum, non erit infinite malum, quia procedit modo limitato, supposita cognitione limitata.

Sed INSTABIS quia, saltem peccatum vere est nocivum extrinsece auferendo honorem Deo debitum, ut probatum est in dubio 4; Ergo sub hac ratione erit infinitum. Sed facile RESPONDEO: sicut honor qui peccato [f.84v] aufertur est finitus ita nocumentum extrinsecum Deo illatum per peccatum est finitum. Sed urgent aliqui, quia malitia hæc non solum crescit ex magnitudine honoris qui aufertur, sed etiam ex iure quod Deus habet ad illum honorem; cum autem ius Dei ad honorem sit ius infinitum, iniuria erit infinita; et explicant exemplo illius qui non assurgit proconsuli aut regi qui, quamvis eundem honorem deneget utrique personæ, sed maiorem iniuriam irrogat regi, cui magis debitus est ille honor. Sed ex dictis RESPONDEO infinitum ius Dei ad honorem, sicut non tribuit nostro actui honorandi infinitam bonitatem, quia potentiæ et illarum actus et modus tendendi limitati sunt, ita non affert nobis obligationem infinitam nec inducit in peccatum infinitam malitiam, quia finitus est modus tendendi, ut supra in 1^a ratione primæ conclusionis explicatum est. Nota insuper falsum esse quod aliqui videntur dicere, scilicet peccatum privare ipso divino iure ad honorem, nam illud integrum manet penes Deum, et nostris peccatis non aufertur nisi quod debetur Deo propter illud ius.

Ad 4^{um} RESPONDEO pœnam non esse simpliciter infinitam sed tantum duratione, et hoc non quia culpæ gravitas directe petat pœnam

in infinitam duratione, sed quia culpæ gravitas aufert vitam et principium satisfaciendi, et propterea semper durat pœna, quia nihil unquam satisfaciunt damnati per illam, ut infra, q.87.

Ad 5^{um} DICO 1^o constantem sententiam gravissimorum doctorum esse peccati venialis malitiam infinite excedi a malitia mortalis peccati. Ita D. Thomas infra, q.87, a.5 ad 1¹⁰² ubi Conradus¹⁰³, Caietanus¹⁰⁴ et alii et q.72, a.5 ad 1¹⁰⁶; Altissiodorensis, libro 2 *Summæ*, trac 28, cap.2, q.1 fine¹⁰⁶, Albertus, 2 p., tr.18, q.114, mem.4, a.3 fine¹⁰⁷; Alensis, 2 p., q.117, mem.3¹⁰⁸; D. Bonaventura, 2, d.35, in expositione litteræ n^o 3¹⁰⁹ et d.42, a.2, q.2 fine¹¹⁰; D. Antoninus, 3 p., tit.14, cap.19, §14¹¹¹; et communiter Doctores 4, d.16, ubi Argentinas, q. unica, a.4 [f.85] ad 5¹¹²; Scotus, 4, d.21, q.1¹¹³; Guillelmus Parisiensis, tract. de virtutibus, cap. ultimo ad finem¹¹⁴; Ricardus, 2, d.42, q.2, fine¹¹⁵; Ægidius, 2, d.24, p.2, q.2, a.5 ad 1¹¹⁶; et fere omnes ii Doctores probant 1^o ex infinita distantia pœnæ æternæ supra temporalem, 2^o, quia infinita peccata venialia non continent tantam malitiam quantam mortale unicum, de quo infra, a.4 huius quæstionis.

¹⁰² THOMAS AQ. *Summa Theologiæ*, 1.2., q.87, a.5 ad 1 : ed.leon. 7,126b.

¹⁰³ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundæ... S. Thomæ Aquinatis*, q.87, a.5: Venecia 1589, p.690ab.

¹⁰⁴ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomæ*, 1.2., q.87, a.5: ed. leon. Operum Sti. Thomæ, t.7, p.127a.

¹⁰⁵ THOMAS AQ. *Summa Theologiæ*, 1.2., q.72, a.5 ad 1 : ed. leon. t.7, p.18.

¹⁰⁶ GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.2, tr.12, c.1 : ed. Paris-Roma 1982, p.258, 27-33.

¹⁰⁷ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiæ*, 2 p., tr.18, q.114, mem.4, a.3 : ed. Paris, t.33 (1895), p.341s.

¹⁰⁸ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, Inq.3, tr.1, sec.1, q.1, c.4 : Quaracchi, t.3 (1930), p.288b.

¹⁰⁹ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.35, dub.3 (Circa litteram Magistri) : ed. Quaracchi, t.2, (1885) p.837.

¹¹⁰ ID., *Ibid.* d.42, a.2, q.2 fine : *ibid.*, p.970, n.5.

¹¹¹ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.14, c.19, § 14 : Lyon, t.3 (1529), f.130v.

¹¹² THOMAS DE ARGENTINA, *Commentaria in IIII libros Sententiarum*, 4, d.16, q.1, a.4 ad 5 : Génova 1585, f.123v.

¹¹³ IOANNES DUNS SCOTUS, *In Quartum Sententiarum*, d.21, q.1 : Paris, t.18 (1894), p.703a.

¹¹⁴ GUILLELMUS ALVERNI, ep. Parsiensis, *De virtutibus*, c.23 : Opera Omnia, t.1, Paris 1674, p. 190 a-b.

¹¹⁵ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super Quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, 2, d.42, a.2, q.2 ad 4 : Brixia 1591, p.513a.

¹¹⁶ ÆGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quæstiones*, d.24, p.2, q.2, a.5 ad 1 : Venecia 1581, t.2, 290 a-D.

Et ut magis explicent hanc rationem, obiiciunt contra illam, quia actus peccati mortalis non habet infinitos gradus intensionis nec amat in infinitum aliquam creaturam, et ut clarius dicamus, decretum furandi decem aureos non versatur circa infinitos nummos nec habet infinitam intensionem; Ergo si decretum furandi quadrantem habet etiam suam determinatam intensionem, et quadrans habet determinatam proportionem cum decem aureis, ita ut aliquoties repetitus adæquet; Ergo similiter veniale habet proportionem aliquam cum mortali. RESPONDEO ex iisdem doctoribus, præsertim Alberto, Alensi, Bonaventura et Ægidio inter peccatum mortale et veniale esse proportionem finitam semper quoad intensionem et efficaciam actus, et præterea sæpe esse proportionem quoad quantitatem obiecti, ut constat in exemplo proposito; nihilominus nunquam est proportio quoad appetitionem obiecti, nam quamvis magis intense ames quadrantem alienum quam amas Deum, nihil refert ut sit mortale aut veniale peccatum, at vero nisi ita ames quadrantem ut infinities minus appeties illum quam Deum, erit peccatum mortale et eo ipso quadrantem amabis supra Deum, cuius amicitiam violas et parvipendis, ut quadrantem appeties in aliqua proportione finita cum Deo, quod est maxima eius iniuria. Itaque in hoc præcipue infinitus est excessus mortalis supra veniale, quia mortale appetiat creaturam supra Deum, at vero veniale semper appetiat creaturam infinities infra Deum.

Igitur ad argumentum 5^{um} RESPONDEO peccati mortalis malitiam non esse infinitam simpliciter, sed secundum quid, scilicet quoad prædictam appetitionem, sicut charitatis perfectio non est infinita simpliciter sed secundum quid, quamvis in infinitum pluris faciat Deum quam creaturam et quamvis nullus alius amor infinities repetitus pervenire possit ad perfectionem charitatis.

Sed quid si peccatum veniale appetiet creaturam supra Deum, et solum sit [f.85v] veniale propter defectum libertatis, ut infra dubio 15? RESPONDEO etiam tunc esse distantiam infinitam quoad imputabilitatem, quia infinities imputabile secundum quid non est tam imputabile ut semel imputabile simpliciter; est enim veluti cuiusdam inferioris speciei quæ infinities repetita non adæquat superiorem.

Ex dictis solvitur illa quæstio an in culpa veniali sit infinita malitia. Nam 1^o non est infinita simpliciter, cum nec in peccato mortali sit infinita simpliciter. 2^o non est infinita secundum quid eo modo quo peccati mortalis malitia est infinita secundum quid, quia veniale peccatum, aut non appetiat creaturam supra Deum aut illa appetitio

non imputatur simpliciter. 3^o suo modo culpa venialis est infinita quatenus est quodammodo contra Deum infinitum et quatenus, quamdiu durat reatus illius, impedit visionem infiniti boni et quatenus excedit omnia mala poenae infinities repetita, ut dicitur in fine dubii sequentis.

Præterea colligitur adhuc minus propriam infinitatem esse in peccato illius hominis qui invincibiliter ignorat Deum aut eius legem, et tantum cognoscit dictamen rationis rectæ, modo explicato in quæstione 71, a.6, dub.6¹¹⁷; nihilominus adhuc illud peccatum habet aliquam infinitatem, et ratio est quia est malum maius quolibet dolore et poena, et propter nullum bonum eligendum est, et non potest esse obiectum volitum a divina voluntate. Propter similes rationes error intellectus, præcisa omni imputabilitate voluntatis, habet quandam infinitatem secundum quid.

Dubitatur 6^o:

Utrum peccatum mortale sit maximum omnium malorum. Ubi an quolibet malum sit eligendum prius quam peccatum.

Hæc quæstio, licet valde propria sit præsentis disputationis, nihilominus non tractatur a Doctoribus hic, imo nullibi directe et ex professo sub his terminis. Licet enim disputent an culpa sit maius malum quam poena, sed non satis constat ex illis an loquantur formaliter tantum in quantum poena et culpa sunt, et an loquantur ex genere solum, an vero omnem culpam existiment esse maius malum omni poena etiam annihilatione. Tangitur etiam a Doctoribus quando disputant utrum dolendum sit de peccato magis quam de quolibet alio malo, et utrum damnatis melius esset non fuisse quam usque adeo miseros esse, eaque tractant locis infra citandis. Et ne quis difficultatem effugiat dicens peccati malitiam non esse comparabilem cum aliis malis, advertat comparabilia esse bona moralia cum aliis bonis: sic enim dicimus meliorem esse virtutem quam sit dolor aut frigus, comparamus enim hæc in ratione communi boni abstrahendo a morali et naturali, sic ergo cur non

¹¹⁷ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, (1.2., q.71, a.6, dub 6) : ATG 2 (1939) 280–287.

poterit comparari culpa cum quo[f.86]libet alio malo secundum rationem mali ut sic abstrahendo a morali et non morali? Unde Durandus, 2, d.37, q. ultima¹¹⁸, licet prius dicat non esse propriam comparationem, tandem comparat hæc mala.

1^a sententia est absolute minus malum esse peccatum quam simpliciter non esse. Ita videtur sentire Durandus, 4, d.17, q.5¹¹⁹, quia in contrarium proponit quoddam argumentum et non solvit, et tali sententiæ consonant alia eius dicta ibi et infra d.50, q.2¹²⁰; et favet Scotus, eadem d.50, q.1, initio¹²¹, sed vere tenet oppositum postea, sicut etiam Durandus in alia q. infra citanda.

Hæc sententia colligitur ex D. Augustino, 3 *De libero arbitrio* cap. 6 et 7, ubi ait maius Dei beneficium esse creari hominem quem Deus præscit peccaturum esse quam foret non creare eundem hominem ne peccaret. Idque inde præcipue probat quia cuicumque melius est esse quamvis in summa miseria quam omnino non esse¹²².

PROBATUR 1^o quia tanto aliquid est magis malum quanto plura et meliora bona excludit; sed peccatum mortale excludit immediate solummodo bonitatem quæ debebatur tali actui, v.gr. bonitatem iustitiæ aut temperantiæ, et ex consequenti excludit gratiam et gloriam; at vero negatio existentiæ excludit ab homine non solum prædictas perfectiones, sed etiam reliquas omnes quarum multæ possunt esse simul cum peccato mortali, et insuper excludit etiam totum bonum naturæ et sufficit ad excludendam unionem hypostaticam. Quod si dicas: negatio existentiæ solummodo excludit per se et directe bonitatem naturalem, et hæc minor est quam bonitas qua privat peccatum mortale, contra hoc est 1^o quia non est melior bonitas unius virtutis naturalis, qua sola directe et per se privant aliqua peccata mortalia, quam bonitas substantiæ hominis; omnis enim substantia melior est accidentibus sibi connaturalibus; 2^o quia ex non esse naturæ necessario et per se sequitur negatio omnium entium supernaturalium, præsertim virtutum et beatitudinis et unionis hypostaticæ, quare negatio entita-

¹¹⁸ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.37, q.3 : Amberes 1566, fol. 193, n.4s.

¹¹⁹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.5 : Amberes 1566, fol. 340v.

¹²⁰ ID., *Ibid.*, 4, d.50, q.2 : e.c. fol. 422.

¹²¹ IOANNES DUNS SCOTUS, *Quæstiones in 4 libros Sententiarum*, 4, d.50, q.1: Vivès, t.21 (Paris 1814), p.529a.

¹²² AUGUSTINUS, *De libero arbitrio libri III*, l.3, c.6 y 7 : CCL 29 285ss; PL 32 1280s.

tis naturalis quasi virtualiter et radicaliter continebit malitiam aliarum negationum; 3° quia recte possumus [f.86v] intelligere negationem cuiusque entitatis sive naturalis sive supernaturalis et talis negatio sive talis collectio negationum per se privat omni bonitate naturali et supernaturali; Ergo saltem hæc collectio negationum erit malum maius quam peccatum mortale.

2° principaliter ARGUITUR quia negatio est magis mala quam privatio sicut peius est lapidem esse cui non possit convenire potentia visiva quam esse animal capax visivæ potentiæ et carens illa; Ergo magis malum erit non esse capacem honestatis iustitiæ sicut lapis quam carere debita honestate sicut peccatum; unde sic ulterius argumentor: carere debita honestate est summa malitia peccati, supra, q.71, a.6, dubio 1¹²³: et hæc est minor quam non esse; Ergo de primo ad ultimum, minus malum est peccatum mortale quam non esse.

3° ARGUIT Augustinus: Ex communi hominum appetitu qui etiam in summa miseria constituti naturaliter tamen formidant mortem, unde minus malam existimant vitam miseram quam mortem; et propterea mentiuntur, inquit Augustinus, cum dicunt se malle non fuisse productos quam miseros esse, quia qua ratione vellent non fuisse productos vellent etiam mori. Confirmat, quia esse appetitur ab omnibus beatis et miseris; Ergo est maximum bonum. Confirmat 2°, quia tanto aliquis est miserior quanto magis distat ab eo quod summe est, scilicet Deo; sed magis distat qui nullo modo est quam qui miser est; Ergo est miserior. Confirmat 3°, quia illi qui se interemerunt ut fugerent miseriam, aut existimabant se post mortem minus miseros futuros aut, si non se existimabant futuros post mortem, non est habenda eorum ratio ut hominum qui male omnino eligunt siquidem eligunt nihil, quod non est eligibile.

4°, quia si maius malum esset peccatum mortale quam non esse cuiusque entis sive naturalis sive supernaturalis sequeretur congruentiorem et meliorem [f.87] ordinem divinæ providentiæ fuisse si nulla permetteret peccata quam si permittat ut ostendatur eius misericordia et iustitia dimittendo et puniendo peccata; hoc autem esset contra communem sententiam sanctorum et scholasticorum, ubi de providentia.

5°, quia si quodlibet peccatum esset maius malum quam prorsus

¹²³ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis* : ATG 2 (1939) 249.

non esse, deberet quilibet sui annihilationi [sic] optare potius quam alienum peccatum.

6º, quia maius malum est quod irreparabile est quam quod reparabile; sed annihilationis malum est irreparabile at vero culpæ malum est reparabile; Ergo.

7º, quia magis coniungit cum Deo beatitudo quam virtus iustitiæ; Ergo magis separat a Deo privatio beatitudinis quam privatio iustitiæ debitæ quæ est in furto, ac proinde privatio beatitudinis erit magis mala.

8º ARGUITUR, quia alias non tenerentur præsciti agere Deo gratias pro sua creatione, siquidem illis melius fuisset non creari.

9º, quia præmium est melius bonum quam meritum; Ergo pœna est maius malum quam culpa.

Vera sententia asserit *peccatum esse maius malum quam prorsus non esse, et "non esse" eligibilius esse quam peccare.*

Ita Ricardus, 4, d.50, a.4, q.2¹²⁴, ubi D. Bonaventura, a.1, q.2¹²⁵, licet prius distinguat, tandem tamen concludit absolute eligibilius esse non esse quam peccare; idem tenet Scotus, d.50, q.1¹²⁶, modo explicando infra; et Durandus, 4, d.17, q.7, nº 29¹²⁷; Antoninus, 3 p., tit.14, cap.18, § 4¹²⁸ cum Paludano¹²⁹ et aliis; Almain, 3 *Moralium*, cap.29¹³⁰, Dionysius, 4, d.50, q.1, fine¹³¹, Henricus, quodlibeto 1, q.20, pag. ultima¹³²; Ægidius, 2, d.37, q.2, a.3 late¹³³, præsertim ad finem.

¹²⁴ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super Quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, d.50, a.4, q.2 : Brixix 1591, p.705.

¹²⁵ BONAVENTURA, *Commentarii in quatuor libros Sententiarum*, 4, d.50, a.1, q.2 : Quaracchi 1889, t.4, p.1038.

¹²⁶ IOANNES DUNS SCOTUS, *Quæstiones in 4 libros Sententiarum*, 4, d.50, q.1: Vivès t.21 (Paris 1814) p.536.

¹²⁷ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.7, n.14 : Amberes 1566, fol. 342.

¹²⁸ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.14, c.18, § 4 : Lyon, t.3 (1529) f.128, § 3.

¹²⁹ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, 4, d.17, q.1, n.23 : Salamanca 1552, p.201a. (Lo cita S. Antonino en la nota precedente).

¹³⁰ J. ALMAIN, *Opuscula: Moralia. Lectura in tertium completa*, l.3, c.29 : (s.l., s.a.) f.88s.

¹³¹ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum IIII*, d.50, q.1 : Venecia 1584, p.562b.

¹³² HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlibet I*, q.20 : Lovaina 1979, p.169s.

¹³³ ÆGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quæstiones*, d.37, q.2, a.3 : Venecia 1581 pars secunda, t.2, 559s.

COLLIGITUR hæc sententia ex communi Doctorum, sentiente culpam esse maius malum quam pœnam, et in speciali etiam quam pœnam privationis gratiæ et gloriæ, ut docet D. Thomas, 1 p, q.48, a.6¹³⁴ et *De malo*, q.1, a.5¹³⁵, Caietanus¹³⁶, Bañez¹³⁷, et alii 1 p. citata; Ægidius supra, Durandus, 2, d.37, q. ultima¹³⁸, ubi Cartusianus¹³⁹ et apud illum Richardus.

Præterea, supposito hoc axiomate theologico, colligitur hæc sententia manifeste ex illis Doctoribus qui docent secundum rectam rationem eligendum esse potius non esse quam pœnam inferni [f.87v] ut, præter Bonaventuram et Dionysium nuper citatos, docet D. Thomas, 4, d.50, q.2, a.1¹⁴⁰, ex Hieronymo in id Ier. 20 [14] *maledicta dies in qua natus sum*¹⁴¹ quem sequuntur Sotus eadem d., q. unica, a.5, conclusione 5¹⁴², Ledesma 3^a, 4ⁱ, q.500, a.3¹⁴³. Sed circa hoc nihil modo decerno quia latiore disputationem exigit. Assero tamen oppositam sententiam, scilicet elegibiliorem esse pœnam inferni, præcisa culpa, quam non esse, teneri ab Augustino et Durando citatis in 1^a sententia et a Richardo, Scoto et Henrico nuper citatis et Paludano, 4, d.50, q. unica, a.2¹⁴⁴. Tantum affirmo hanc conditionalem propositionem: si culpa est maius malum omni pœna, et pœna inferni est maius malum quam non esse, culpa erit maius malum quam non esse.

Sed eadem sententia PROBATUR 1^o efficaciter Mt 26 [24] et Mc 14 [21] *melius erat ei si natus non fuisset homo ille*, circa quæ verba Hieronymus, Mt 26 [24] ait *melius est non subsistere quam male sub-*

¹³⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1 p., q.48, a.6 : ed. leon. t.4, p.497a.

¹³⁵ ID. *Quæstiones disputatæ de malo*, q.1, a.5 c: ed. leonina, 23, 23bss.

¹³⁶ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomæ*, 1 p., q.48, a.6 : ed. leon. operum Sti. Thomæ, t.4, p.497s.

¹³⁷ DOMINICUS BAÑEZ, *Scholastica Commentaria in Primam Partem*, q.48, a.6: Venecia 1585, col.696 D E.

¹³⁸ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.5 : Amberes 1566, fol.193a.

¹³⁹ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum IIII*, d.17, q.4 : Venecia 1584 239a.

¹⁴⁰ THOMAS AQ., *In quartum librum sententiarum*, d.50, q.2, a.1 : ed. Vivès, t.11, p.563.

¹⁴¹ HIERONYMUS, *Commentariorum in Ieremiam Prophetam libri sex*, l.4, c28, 4 : CCL 74 194; PL 24 838.

¹⁴² DOMINICUS SOTO, *In quartum Sententiarum*, 4, d.50, q.unica, a.5 fine : Salamanca, t.2 (1560), p.685a.

¹⁴³ M. LEDESMA, *Secunda Quartæ*, q.2, a.1 : Coimbra 1560, f.10c-11a.

¹⁴⁴ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, 4, d.50, q.un., a.2, n.10 : Salamanca 1552, p.535s.

sistere et quamvis, Mc 14, ambigue loquatur Hieronymus¹⁴⁵, idem tamen sentit ut existimo¹⁴⁶. Et eadem auctoritate D. Bernardus, serm. 35, versus finem¹⁴⁷, probat damnatis deterius esse sic esse quam omnino non esse; eodem modo explicant illa verba *Glossa*, Mt 26, ubi Lyra¹⁴⁸ et D. Thomas¹⁴⁹ cum Theofilacto, Mc 14¹⁵⁰; Gensenius, cap.132 *Concordiæ*¹⁵¹. Unde sic argumentor: in Iuda sive in aliis damnatis pœna non erat tam mala quam culpa; Ergo propter culpam potius quam propter pœnam dictum fuit melius esset ei si non existeret. CONFIRMATUR ex communi consensu sanctorum sentientium peccatum aut solum esse malum aut maximum, ut Augustinus, 3 *De Civitate*, cap.1¹⁵², Chrysostomus, Ephes 5, Homil. 19¹⁵³, Hieronymus in cap. 11 *Isaiæ*¹⁵⁴.

2º PROBATUR ex communi sententia Doctorum asserentium dolendum esse de peccato mortali magis quam de quolibet alio malo; ita docent Richardus, [f.88] 4, d.17, a.1, nº 5 ad 3¹⁵⁵; Alexander, 4 p, q.48, mem.2, a.6¹⁵⁶, et ex Alberto¹⁵⁷, Innocentius, Paludanus¹⁵⁸ et D.

¹⁴⁵ PSEUDOHIERONYMUS, *Commentarius in evangelium secundum Marcum*, c.14 : PL 30 654s.

¹⁴⁶ HIERONYMUS, *Commentarii in Evangelium Matthæi*, (Mt 26 24) : CCL 77 250 1125-1128; PL 26 202.

¹⁴⁷ BERNARDUS, *Sermones in Cantica*, sermo 35 : PL 183, 965.

¹⁴⁸ W. STRABUS, *Glossa ordinaria*, [in Mt 26 24] : PL 114 168; N. LYRA, *Postillæ*. Puede verse, por ej. en *Bibliorum Sacrorum cum Glossa ordinaria... et Postilla Nicolai Lyrani*, t.5, Lyon 1590, col.425

¹⁴⁹ THOMAS AQ., *In Mathæum Evangelistam Expositio* : ed. Vivès, Paris, t.19 (1876) p.616b-617a.

¹⁵⁰ THEOFILACTUS, *Enarratio in Evangelium Marci*, c.14, 16-21 : PG 123 650.

¹⁵¹ CORNELIUS JANSENS, Episcopus Gandavensis, *Commentarii in suam Concordiam*, c.132 : Lyon 1580, p.916 b B.

¹⁵² AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.3, c.1 : CCL 47 65; PL 41 79.

¹⁵³ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Epistolam ad Ephesios argumentum et homiliæ*, c.5, homil.19 : ed. Fiedl (Oxford 1852) t.4, 294 B; PG 62 132.

¹⁵⁴ HIERONYMUS, *Commentarii in Isaiam*, l.4, c.11, 6-9 : CCL 73 151 35; PL 24 151 B.

¹⁵⁵ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super Quarto Sententiarum*, d.17, a.1, 5º ad 3 : Venecia 1499, f.110v E.

¹⁵⁶ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 4 p., q.68, mem.1, a.6 : Ant. Roberger 1556, f.272 b.

¹⁵⁷ ALBERTUS MAGNUS, *Commentarii in IV Sententiarum*, d.16, a.31 : ed. Vivès, 29, p.612s.

¹⁵⁸ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, 4, d.17, q.1, nn.38-46 : Salamanca 1552, p.202d-203a.

Thomas¹⁵⁹. D. Antoninus, 3 p, tit.14, cap.18, § 4¹⁶⁰, Argentinas, 4, d.17, q.1, a.3¹⁶¹, et ex D. Thoma, Quodlibeto 1, a.29¹⁶², Navarrus, cap.1, *Manualis*, n° 22¹⁶³, Cartusianus, 4, d.17, q.4¹⁶⁴, ubi Durandus, q.7, n.14¹⁶⁵, Maior, 2, d.42, q.17¹⁶⁶, Scotus, supra citatus. Vide Vegam, 13 in Tridentinum, cap. 24¹⁶⁷, Corduba, 1° *Quæstionum*, q.2¹⁶⁸.

Et PROBATUR, quia debemus dolere de peccato propter Deum, quia est contra eius præceptum; sed Deum et eius præcepta debemus amare præ omnibus bonis; Ergo transgressionem illorum debemus odisse præ omnibus malis; Ergo culpa est malum maius reliquis omnibus, alioqui contra rationem esset illud magis odisse, sicut contra rationem est magis quam omnia amare illud quod non est summum bonum.

CONFIRMATUR 1° quia sicut amor charitatis tantus est appetitive ut illa appetitatio sufficeret ad relinquendam Dei visionem et proprium esse si hoc necessarium foret ad non peccandum, sic etiam contritio prosequitur peccatum odio tam magnæ appetitionis.

CONFIRMATUR 2° quia nisi culpa [sic]

3°, quia licet peccatum et non esse respectu divinæ causalitatis convenient in hoc quod abstractione divini concursus indigent potius quam concursu, nihilominus Deus potest velle et determinare ad non esse ut causa particularis determinata ab alia causa, et tamen non potest determinare ad peccatum, ut dicitur q.79; Ergo peccatum est

¹⁵⁹ THOMAS AQ., *Commentum in Quartum librum Sententiarum*, d.17, a.3, 4 : ed. Vivès, Paris, t.10, p.491.

¹⁶⁰ S. ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.14, cap.11, § 4: Lyon 1529, fol.128, § 4.

¹⁶¹ THOMAS ARGENTINAS, *Commentaria in IIII libros Sententiarum*, 4, d.17, q.1, a.3 : Génova 1585, f.125.

¹⁶² THOMAS AQ., *Quæstiones Quodlibetales*, quodl.1, q.4: Turin [1956] p.10.

¹⁶³ MARTIN DE AZPILCUETA, DOCTOR NAVARRUS, *Enchiridion sive manuale confessoriorum et pœnitentium*, c.1, n.22 : Roma 1590, p.40b.

¹⁶⁴ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum IIII*, d.17, q.4 : Venecia 1584 239a.

¹⁶⁵ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.7: Amberes 1566, fol.342, n.14.

¹⁶⁶ JOANNES MAIOR, *In secundum librum sententiarum*, No hemos encontrado esta cita en la ed. de París 1519.

¹⁶⁷ ANDREAS VEGA, *De iustificacione doctrina universa libri XV*, l.13, c.24 : Colonia 1572, p.558b-559a.

¹⁶⁸ No hemos podido encontrar esta afirmación explícita en la obra de ANTONIO DE CORDOBA, *Expositio Regulæ fratrum Minorum ex varia multiplicique autorum lectione*. Lovaina 1550, aunque implícitamente está contenida en toda la obra, especialmente en el c.10, q.3 : f.284v-299r.

magis malum.

4^a, et præcipua RATIO D. Thomæ, Richardi, Lyræ et aliorum supra, quia quodlibet aliud malum præter culpam non est contra Deum auferendo illi honorem debitum, nec ullo modo tendit in destructionem Dei; at vero peccatum mortale aliquo modo tendit in destructionem Dei, supra, dubio 3, et aufert Deo honorem debitum, supra, dubio 4. CONFIRMATUR, quia tanto aliquid est maius malum quanto est contra melius bonum. Sed RESPONDET Scotus, supra, insolubile esset hoc argumentum si culpa vere afferret Deo aliquid damni [f.88v] aut destructionis; sed cum nihil afferat, et præterea, cum annihilatio seu pœna inferni afferat nobis vere summum malum, videtur hoc esse maius. RESPONDEO, nihilominus esse gravius malum culpam, quia cum Deus sine ulla proportione excedat quodlibet aliud bonum, at vero modus quo læditur creatura per annihilationem aut per pœnam inferni non excedat infinities modum quo læditur Deus per culpam, sequitur maius malum esse culpam. CONFIRMATUR ex D. Thoma, 1 p, q.48, a.6, c¹⁶⁹, quia privatio visionis beatæ aut gratiæ aut etiam annihilatio solummodo excludunt bonum creaturæ et bonum Dei ut participatur a creatura tantum, et non ut est in se ipso; at vero culpa privat bono divino ut est in se ipso, quia excludit amorem quo Deus in se ipso amat. Sed DICES: privatio visionis beatæ excludit visionem qua Deus in se ipso videtur; Ergo eadem ratione privatio visionis beatæ erit contra Deum. RESPONDEO: privatio visionis tollit visionem divinam, sed non ita ut ipso opere ostendat Deum non esse obiectum dignum ut videatur in se; at vero culpa tollit amorem divinum ita ut ipso opere innuat Deum non esse dignum ut ametur propter se ipsum, ut explicatum est in dubiis præcedentibus, et ideo privatio quæ est in culpa est contra Deum ipsum in se; at vero privatio visionis non est contra Deum ipsum in se.

Hinc satis constat peccatum esse maius malum absolute quam non esse aut pœnam inferni. Verumtamen DICET aliquis his rationibus non probari esse maius malum homini peccanti. Sed si bene perpendatur hæc ratio ultima, id etiam PROBAT, quia Deus est summum bonum hominis, et culpa multo magis separat hominem a Deo quam non esse aut pœna inferni; etenim propter non esse non displicet homo Deo ita ut propterea mereatur sibi inferri a Deo mala et demereatur gloriam; at vero propter culpam homo displicet Deo, et propterea Christus Dominus, supra, non solum dixit: bonum erat non fuisse natum, sed

¹⁶⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1 p., q.48, a.6: ed. leonina t.4, p.497.

bonum erat ei [Mt 26 24; Mc 14 21].

5° favet huic sententiæ, quia maius malum est carere bono debito quam bono [f.89] non debito. Unde existimamus recta ratione duci eum qui tristitia afficitur si deturbatur a regno sibi debito; at vero amentem existimaremus hominem infirmum qui propterea tristitia contabescat quia non ascendit in regnum; atqui peccatum est carentia boni quod homo deberet habere; quodlibet autem aliud malum non excludit bonum quod homo deberet habere. Hæc, inquam, ratio valet aliquid aliis adiuncta, præsertim quia non est aliunde in aliis malis aliquis excessus tam magnus ut istum vincat.

6°, quia quanto aliquid bonum magis proprium est alicuius, tanto magis bonum est illi, et propterea bona libera sunt magis bona; sed similiter culpa est magis propria hominis quam quodlibet aliud malum, nam culpam homo vult et causat et ad illam se determinat non determinatus ab alia causa; Ergo culpa est magis mala homini. Hæc etiam ratio auget præcedentium vim, licet sine illis forte non convinceret. CONFIRMATUR, quia magis malum est illud quo homo redditur malus, quam quo non redditur malus; sed culpa fit homo malus, et nullo alio malo fit malus. Unde D. Dionysius, c.4 *De divinis nominibus*¹⁷⁰, ait puniri non est malum sed fieri pœna dignum. Et propterea, ut inquit Augustinus, 4 *De Civitate*, c.4: *mala pœnæ patiuntur boni et mali, et mala culpæ tantum patiuntur mali*¹⁷¹.

7° PROBATUR quia fortitudinis est mortem subire propter aliquid turpe vitandum vel acquirendum aliquid honestum, ut docet Aristoteles, 3 *Ethicorum*, cap.9 et lib.4, cap.3¹⁷², et communis antiquorum consensus tenuit semper; idque præsertim habet vim si Aristoteles existimavit animam interire cum corpore. Sed obiicit Scotus: melior est substantia hominis quam quilibet actus virtutis; Ergo substantia hominis non est exponenda periculo propter virtutem retinendam¹⁷³. RESPONDEO: licet substantia sit melior quam virtus in se et formaliter præcise, non tamen est melior quam Deus ad quem nos ducit virtus et propter quem fit, et ideo merito propter virtutem exponitur periculo substantia. Sed ut res clarius elucescat accipe aliquem ex an-

¹⁷⁰ PSEUDODIONYSIUS AREOPAGITA, *De divinis nominibus*, c.5 : PL 122 1141 D.

¹⁷¹ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.4, c.4 : CCL 47 99; PL 41 112s.

¹⁷² ARISTOTELES, *Ethicorum*, 3, c.9 : Basilea, pars 2^a, 1563, l.3, c.9, col.58 col.70B; *Aristoteles latinus*, 26 1/3 p.425s y 441 20-24.

¹⁷³ IOANNES DUNS SCOTUS, *Quæstiones in 4 libros Sententiarum*, 4, d.50, c Paris, t.21 (1894) p.538a.

tiquis philosophis existimantem animam esse [f.89v] mortalem. Hic, si mortem subiret ne idola coleret, existimaretur ab omnibus præstasse opus laude dignum, et tamen ille eligit nullo modo manere nec quoad animam separatam, sed tantum quoad materiam primam; Ergo non esse elegibilis est quam peccatum. Nec hoc negat Durandus, 4, d.17, q.6, a.1¹⁷⁴, quamvis omnino neget licere tunc electionem positivam mortis. Vide quæ circa hæc ab Aristotele et Averroe affert Henricus supra¹⁷⁵. CONFIRMATUR quia recta ratio persuadet amittendum esse potius totum beneficium acceptum quam offendendum benefactorem; sed omne bonum etiam primum et substantiale esse vitæ est beneficium Dei; Ergo eligendum est potius amittere quodcumque bonum etiam substantiale per annihilationem quam peccare.

8º, quia peccatum mortale, ex modo tendendi, habet malitiam maiorem quam sit bonitas actus cuiusque optimi, nam procedit peccatum quasi destruens Deum ex modo tendendi, supra, dubio 3; at vero nullus actus etiam optimus procedit quasi tribuens esse Deo, nam eo ipso non versaretur circa Deum formaliter, sed circa creaturam (quidquid dicat Báñez, 1 p., q.48, a.6¹⁷⁶); et hæc forte est una ex rationibus propter quas nulla pura creatura possit reddere Deo æqualem satisfactionem peccati mortalis.

9º, quia culpam mortalem optimo iure potuisset Deus punire annihilatione, et punit modo carentia gratiæ et gloriæ et pœna sensus; sed omnis pœna est minus malum quam culpa, quod D. Thomas PROBAT supra, quia pœna adhibetur ad vitandam culpam et imprudentia esset adhibere maius malum ad vitandum minus; Ergo culpa est malum maius annihilatione, pœna inferni et reliquis malis. CONFIRMATUR, quia culpa est causa pœnæ et præterea præcipuum in malitia pœnæest illatam esse propter culpam. Et ad eandem minorem affirmandam repeti possent plurimæ ex præcedentibus rationibus.

Hactenus probatum est peccatum magis malum esse homini quam quodlibet aliud malum. Nunc autem explicare oportet quomodo alia mala eligenda sint potius quam peccatum.

[f.90] DICO 1º circa peccatum præteritum: *Non tenetur homo velle non fuisse ut non peccaret.* Quia licet si non fuisset impossibile esset

¹⁷⁴ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.6 : Amberes 1566, fol.341a.

¹⁷⁵ HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlibet I*, q.20 : Lovaina 1979, p.169a.

¹⁷⁶ DOMINICUS BAÑEZ, *Scholastica commentaria in primam partem Angelici Doctoris D. Thomæ*, q.48, a.6 : Venecia 1585, col.696 DE.

illi peccare; tamen poterat esse et non peccare; quare non esse non est medium per se ordinatum ad non peccandum. Quod si loquamur de homine qui potest redire in gratiam Dei cum divinis auxiliis, illi melius est nunc converti et acquirere gratiam quam non esse et numquam peccasse, quia in tempore præterito peccatum iam non est, in tempore præsentis nisi tantum denominatio extrinseca non imputabilis propter gratiam; et ideo huic homini iam nec nocet nec malum est peccavisse.

DICO 2^o circa peccatum futurum: *Numquam oportet eligere absolute non esse aut pœnam inferni, potius quam peccare.* Ita Alexander, 4 p., q.48, mem.1, a.16, versus finem¹⁷⁷; Durandus, 4^a p., d.17, q.5¹⁷⁸; Sotus, 4, d.50, q.1¹⁷⁹. PROBATUR, quia ad fugiendum peccatum numquam est necessarium admittere non esse aut pœnam inferni; immo cum istæ pœnæ non sint infligendæ nisi a solo Deo, videtur impossibile aliquem fugientem peccatum eo ipso incurrere in illas pœnas. Sed dicunt aliqui possibile esse ut Deus homini annihilationem aut pœnam inferni proponat quasi actu positivo volendam et causandam ab eodem homine potius quam peccandum idque ad ostensionem charitatis. Sed hoc præceptum esset durissimum nec proportionatum ut inclinaret ad bonum, sed potius adigeret ad peccandum; quare videtur esse indignum Deo. De quo vide Durandum late in dicta q.5¹⁸⁰.

DICO 3^o: *Data hypothesei impossibili quod necessarium esset aliquem incidere in annihilationem vel pœnam inferni sine divinæ bonitatis macula inflictam eo quod fugeret culpam, nihilominus teneretur fugere culpam saltem permittendo sibi inferri ab alio illa mala, sed non volendo eadem mala.* Ita Alexander, 4 p., q.48, mem.1, a.6¹⁸¹ [f.90v] et apud illum Anselmus, in Meditatione¹⁸² et a D. Bernardus, *De libero arbitrio*¹⁸³; idem Soto, 4, d.10, q.11¹⁸⁴. PROBATUR, quia impossibile

¹⁷⁷ ALEXANDER DE HALES, *Summa Theologica*, 4 p., q.68, mem.1, a.6 : Ant. Roberger 1556, f.272 b.

¹⁷⁸ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.5, n.10 : Amberes 1566, fol.340, n.10.

¹⁷⁹ DOMINICUS SOTO, OP, *Commentarii in Quartum Sententiarum*, d.50, q.1, a.5 : Salamanca, t.2 (1560), p.684b-685a.

¹⁸⁰ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.17, q.5 : Amberes 1566, fol.339v (340v n.12).

¹⁸¹ ALEXANDER HALENSIS, *Pars quarta Summæ Theologiae*, q.68, mem.1, a.6: s.l. 1556, f.272b.

¹⁸² ANSELMUS CANTUAR., *Meditationes*, Med.2 : PL 158 723 A B.

¹⁸³ BERNARDUS, *De gratia et libero arbitrio*, : ed. cisterc. t.3, (Roma 1963) 155-203.

¹⁸⁴ DOMINICUS SOTO, OP, *Commentarii in Quartum Sententiarum*, d.19, q.3,

est culpam non esse culpam atque adeo non esse contra obligationem illam vitandi. Quare, non solum qui concedimus culpam esse malum maius quam annihilationem aut damnationem, sed etiam qui dicerent maius malum esse annihilationem quam culpam, adhuc deberent dicere in præsentī hypothēsi fugiendam esse culpam. Verumtamen iidem tenerentur concedere non esse fugiendam culpam, quia est minus malum, et nullus prudenter se conicit in malum maius ad vitandum minus. Quare ex tali hypothēsi sequerentur contradictoria. Id quod dictum est circa peccatum et pœnam inferni futuram dicendum erit in simili hypothēsi circa præterita, ut scilicet si opus esset non fuisse aut fuisse in inferno ut non commisisset culpam quæ adhuc imputatur, id præeligeret. Ita Alexander citatus, versus finem¹⁸⁵.

Sed quid si ad fugiendam culpam opus esset velle actu positivo annihilationem aut pœnam inferni non ab alio sed ab ipso homine causandam, numquid liceret ita velle et infligere sibi ipsi pœnam? Scotus et Durandus citati omnino negant, quamvis nonnihil inter se differant. Sed quia eorum rationes contendunt peccatum esse in eo casu electionem annihilationis et pœnæ, ideo non curo de illis; non enim comparo modo culpam cum culpa, sed præcisum malum illius annihilationis et inferni sublata ex hac parte omni culpa quæ sit in eius electione, comparo cum culpa ex alia parte; loquor enim ex hypothēsi impossibili. DICO igitur eo casu eligendum esse potius actu positivo sibi causare non esse aut pœnam inferni quam culpam; quia est minus malum, ut supra.

Quod si obiicias: non esse non est elegibile, RESPONDEO: distingo, non est elegibile per se, sed est elegibile ad vitandum maius malum, nam propterea habet rationem boni.

[f.91] Illud denique advertendum est: similes comparationes raro aut numquam esse proponendas, præsertim imperfectioribus hominibus. Ita Alexander et Durandus, supra.

Ad argumenta primæ sententiæ RESPONDEO ad 1^{um}, cum omnibus replicis: RESPONDEO culpam esse magis malam alicui quam proprium non esse aut pœnam inferni, quia culpa magis privat hominem Deo, quod est summum bonum, modo explicato in 4^a ratione 2^{ae} sententiæ, et propter alias rationes supra traditas, et antecedens 1^{um} argumenti,

a.3 : Salamanca, t.I (1557), p.924a.

¹⁸⁵ ALEXANDER HALENSIS, *Pars quarta Summæ Theologiæ*, q.68, mem.1, a.6: s.l. 1556, f.272b.

scilicet tanto aliquid est magis malum quanto excludit maiora bona, intelligendum est quando æqualis est modus excludendi bona et æquale debitum habendi illa; quod in præsentī non reperitur.

Ad 2^{um} RESPONDEO: cæteris paribus peiorem esse negationem quam privationem; at vero inter peccatum et annihilationem non sunt cætera paria, quia peccatum privat Deo multo magis quam non esse.

Ad 3^{um} RESPONDEO nihil probare contra nos, quia licet homo sit constitutus in summa miseria culpæ, et licet annihiletur, non propterea fiet ut non peccaverit nec ut non imputetur illi qui peccavit, atque adeo non est quare optet annihilationem. Et annihilatio non est medium per se ordinatum ut postea non peccet. Et hinc constat SOLUTIO primæ et tertię confirmationis. Ad secundam confirmationem RESPONDEO magis distare a Deo qui est in culpa mortali quam qui non est, non quidem per distantiam entitatis, sed per distantiam cognitionis et amoris quibus debet coniungi Deo; nam qui non existit, ex eo præcise quod non existit non est exosus Deo nec constituit creaturam supra Deum nec ullo modo tendit in destructionem Dei, sicut ille qui peccat.

Ad 4^{um} RESPONDEO: ei qui peccat maius malum est culpa quam non esse cuiuscumque entis sive naturalis sive supernaturalis; at vero illi qui non committit culpam, peccatum alterius non est tantum malum quantum est bonum quod facit ipse, et ideo Deus propter bona quæ ipse facit et sua sunt et illi imputantur, merito permittit [f.91v] mala quæ ipse non facit et illi non imputantur. Quod si dicas: iam ergo absolute maius malum est privatio talium bonorum quam peccatum, nego consequentiam; quia si comparatur cæteris paribus, scilicet respectu illius personæ cui imputatur bonum et cui imputatur malum, maius malum est culpa quam privatio cuiuscumque boni; at vero respectu illius personæ cui culpa non imputatur, culpa non est culpa, et ideo nec mala est illi, quare eidem personæ minus mala est culpa alterius quam privatio cuiusque boni.

Hinc constat SOLUTIO 5ⁱ argumenti, negando scilicet conditionalem, quia alienum peccatum quamdiu manet alienum et nullo modo incumbit mihi illius avertendi cura, nullo modo est malum mihi et culpa mihi, et ideo potius debeo procurare et velle meam perfectionem quam odisse peccatum alterius, nisi quando et quomodo teneor ex charitate vel ex officio consulere animæ proximi; nam ea ratione fit peccatum meum si non impediam alienum.

Ad 6^{um} RESPONDEO 1^o peccatum mortale esse irreparabile quod in se est, sicut annihilatio est irreparabilis; et sicut peccatum mortale non tollitur nisi virtute Dei, ita annihilationis malum potuisset auferri. 2^o RESPONDEO maiorem esse veram cæteris paribus; in præsentem autem non sunt cætera paria, quia peccatum privat Deo, ut dictum est.

Ad 7^{um} RESPONDEO negando consequentiam, quia privatio boni iustitiæ quæ est in furto continet aversionem a Deo et pugnam cum Deo, modo explicato supra, dubio 3 et 4; at vero sola carentia beatitudinis, si non est culpa, non continet hanc repugnantiam. Præterea illa carentia iustitiæ quæ est in furto quamdiu durat continet quasi eminenter et in radice carentiam beatitudinis, et ideo est magis mala.

Ad 8^{um} nego consequentiam, quia licet peius sit damnato esse in ea miseria culpæ et pœnæ quam non esse, Deus tamen contulit illi esse naturale et auxilia ad salutem et non fuit illi auctor culpæ, et ideo agendæ sunt Deo gratiæ pro bono quod contulit, quia nisi illud vitaretur culpa damnati [f.92] melius esset; quod autem melius sit iam damnato non esse, factum est culpa damnati.

Ad 9^{um} RESPONDET D. Thomas 1 p, q.48, a.6 ad 1¹⁸⁶, negando consequentiam, et reddit rationem, quia opus bonum ordinatur ad præmium ut ad finem, et ideo melius est præmium; at vero culpa non ordinatur ad pœnam ut ad finem, sed potius pœna imponitur ut vitetur culpa; et ideo signum est minus malam esse pœnam, ut dictum est in probatione 9^a.

Cum prædicta vera sint, maxime in culpa mortali, restat difficultas utrum idem dicendum sit de veniali. Affirmat Báñez, 1 p, q.48, a.6, fine¹⁸⁷. Et probari potest, quia pro nulla pœna fugienda committere licet venialem culpam, ut ex sententia D. Thomæ, sanctorum et illuminatissimorum hominum docet Dionysius, 4, d.17, q.9, § *Hæc potuisset*¹⁸⁸. Sed hæc ratio difficultatem habet, quia culpa venialis, etiamsi foret minus malum vitanda foret, quia non potest non esse culpa; Ergo ex eo quod non committatur licite culpa venialis pro vitando quolibet malo pœnæ, non sequitur esse maius malum. CONFIRMATUR, quia culpa venialis minus malum est quam mortali, et tamen data hypothesis quod necessarium foret committere peccatum

¹⁸⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, 1 p., q.48, a.6 : ed. leon., t.4, p.497b.

¹⁸⁷ DOMINICUS BAÑEZ, *Scholastica commentaria in primam partem Angelici Doctoris D. Thomæ*, q.48, a.6 : Venecia 1585, col.697 Ad tertiam.

¹⁸⁸ Este párrafo no lo hemos podido encontrar.

veniale ad evitandam culpam mortalem, adhuc culpa venialis esset culpa. Quod si respondeas: ille actus qui alioqui foret culpa venialis, data hypothese impossibili quod necessarius esset simpliciter ad vitandum peccatum mortale, non foret culpa, sicut mendacium leve, si foret simpliciter necessarium ad vitandam hæresim, non esset culpa. Similiter diceret aliquis quod idem mendacium, si foret simpliciter necessarium ad videndum Deum, non esset culpa. Sed hypothesis est impossibilis et ex ea sequitur etiam quod mendacium esset malum, quia mendacio intrinseca est malitia.

Propter hæc, prædicta ratio exiguam vim retinet. Deinde, cum oppo[sitio] sitio peccati contra Deum et reliquæ rationes superius allatæ non verificentur in peccato veniali nisi secundum quid, videtur veniale posse vinci ab aliis malis quæ habent simpliciter suam rationem mali, ut ab annihilatione aut pœna damni æterna.

Propter hæc, res est dubia valde. Sed adhuc præponderare videntur rationes quæ culpam venialem probant esse maius malum, præsertim quia ad culpam venialem non potest Deus determinare nec illam velle propter aliud quodcumque bonum; at vero alia mala pœnæ potest Deus velle et ad illa determinare. Et quia culpa venialis excludit bonum magis debitum homini et est malum magis proprium homini et imputabile illi, quæ rationes explicatæ sunt in probatione 3^a et 5^a et 6^a.

Maior adhuc difficultas esset de peccato veniali illius qui non contra Deum, sed tantum contra rationem peccaret. De quo, infra, dubio ultimo. Et illud similiter DICO esse malum maius omni malo pœnæ, et eligibilia esse omnia mala pœnæ potius quam illud.

Dubitatur 7°

Utrum ex peccatis quædam sint mortalia
et alia venialia.

Circa nominum explicationem notandum est mortale peccatum a morte dictum esse, cuius rationem reddit D. Augustinus apud Castrum, *Hæresi 2ª*, his verbis: vita corporis tui est anima tua; vita animæ tuæ est Deus; quomodo ergo moritur corpus amissa anima, quæ est vita eius, sic moritur anima amisso Deo, qui est vita eius¹⁸⁹; quam sententiam aliis verbis tradit Augustinus, 13 *De Civitate*, cap. 15¹⁹⁰, de hac morte explicans illud Geneseos 2, [cf 2,17] *quacumque die comederitis ex eo morte moriemini*. Infra vero, in probatione conclusionis magis constabit quam bene quadret translatio mortis et ex Sacra Scriptura depromptam esse.

Rursus ex D. Thoma hic, a.2¹⁹¹, peccatum triplici acceptione dicitur [f.93] veniale, nam quandoque peccata dicuntur venialia ab eventu, quia scilicet venia condonantur. Sicque auctor libri *De vera et falsa penitentia*, Cap.18¹⁹², ait aliqua peccata esse mortalia et per pœnitentiam fieri venialia. Idem fere D. Ambrosius, libro *De paradiso*, cap.18¹⁹³. 2° veniale dicitur peccatum quod potest veniam consequi, a D. Augustino, Chrysostomo et Magistro, apud Vegam 14 *In Tridentinum*, cap.2¹⁹⁴. 3° dicitur veniale peccatum quod non habet tantam gravitatem ut ratione illius impediatur venia, et hoc modo aliqua peccata sunt venialia quodammodo, scilicet quæ vere sunt peccata mortalia, sed quia ex ignorantia aut passione committuntur, minus indigna sunt venia, et huiusmodi peccata, inquit D. Thomas, dicuntur venialia ex causa. Immo, mortalia minus gravia dicuntur venialia a D. Bernardo *In conversione Sancti Pauli*, sermone 1, post medium¹⁹⁵, de quo infra.

¹⁸⁹ ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes hæreses libri quatuordecim*, l.12, *Peccatum*, hæresis 1ª : Madrid 1773, t.1, p.397b final. No lo hemos encontrado en otras ediciones anteriores

¹⁹⁰ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.13, c.15 : CCL 48 396; PL 41 387.

¹⁹¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, l.2., q.88, a.2: ed. leonina t.7, p.135a.

¹⁹² PSEUDOAGUSTINUS, *De vera et falsa pœnitentia*, c.18 : PL 40 1128.

¹⁹³ AMBROSIUS, *De paradiso*. c.14 : CSEL 32/1 329; PL. 14 328.

¹⁹⁴ ANDREAS VEGA, *De iustificatione doctrina universa libri XV*, l.14, c.2 : Colonia 1572, p. 609a.

¹⁹⁵ BERNARDUS, *In conversione D.Pauli sermo I* : Roma, vol.4 (1966) p.331; PL 183 363a.

4° alia peccata sunt venialia simpliciter, scilicet quæ sunt tam leves culpæ ut non excludant ordinem ad ultimum finem et charitatem, ratione cuius homo potest illorum veniam consequi.

Multi sunt errores circa distinctionem mortalis a veniali peccato, sed in præsentī solummodo erunt referendi illi qui omnem distinctionem venialis a mortali abstulerunt; reliqui vero in sequentibus dubiis.

1°. Inter philosophos, stoici dicebant omnia peccata esse paria, ut refert D. Cyprianus, epist. 12 *Ad Antonianum*, colum.6¹⁹⁶; D. Ambrosius, *De pænitentia*, libro 1, cap.2¹⁹⁷; D. Hieronymus, *Ad Celantiam*, epist. 14, cap.1¹⁹⁸. Et nullus alius philosophorum ita sensit, ut notavit Augustinus, epist.19 *Ad Hieronymum*, col.2¹⁹⁹. Addit autem Jovinianum hæreticum in asserenda paritate peccatorum stoicum fuisse, licet in aucupandis defensandisque voluptatibus fuerit epicureus. Contra hunc errorem scripsit Hieronymus, *Contra Jovinianum*, præsertim libro 2, cap.26²⁰⁰, et *Dialogo 2 contra Pelagianos*²⁰¹. Præcipuum stoicorum fundamentum, apud Augustinum citatum est indissolubilis omnium virtutum nexus, ratione cuius quolibet peccato destruuntur omnes virtutes; sed de hoc dicetur q.72, præsertim a.4, et q.73.

2°. Parum differt ab hoc alius error Calvinī, apud Castrum, verbo *Peccatum*, Hæresi 11²⁰², dicentis omnia peccata esse mortalia, quod nullus alius hære[f.93v]ticorum somniasse scire hucusque, ut recte notavit Vega, *In Tridentinum*, libro 14, cap.3²⁰³. Scio eundem errorem Ioviniano et Pelagianis adscribi a Belarmino, ex mente Augustini²⁰⁴, in tomo 3 *Controversiarum* 14, libro 1, cap.4²⁰⁵. Sed Iovinianus non ita directe et immediate negarat distinctionem mortalis et venialis, sed

¹⁹⁶ CYPRIANUS, *Ad Antonianum epistola, pars altera*: Paris, t.2 (1961), 141; PL 3 807aA.

¹⁹⁷ AMBROSIUS, *De pænitentia*, l.1, c.2: PL 16 467.

¹⁹⁸ HIERONYMUS, *Ad Celantiam*, 6: CSEL 56 334; PL 22 1207.

¹⁹⁹ AUGUSTINUS, *De sententia Iacobi liber, seu epistula 167*: CSEL 44 591s; PL 33 735.

²⁰⁰ HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum*, l.2, c.26: PL 23 337.

²⁰¹ HIERONYMUS, *Dialogi contra pelagianos libri III*, l.2, c.6s: CCL 80 61ss; PL 23 566s.

²⁰² ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes hæreses libri quatuordecim*, l.12, peccatum, hæresis 1^a: Madrid 1773, p.397a 402b.

²⁰³ ANDREAS VEGA, *De iustificacione doctrina universa*, l.14, c.3 Colonia 1572, p.610b.

²⁰⁴ AUGUSTINUS, *De sententia Iacobi liber, seu Epistola 167*, (alias 29), c.2: PL 33 735.

²⁰⁵ ROBERTUS BELLARMINO, *Decima quarta controversia generalis de amissione gratiæ*, l.1, c.4: ed. Vivès, Paris, t.5 (1873) p.212b.

tantum asserit æqualitatem omnium peccatorum, ut constat in errore præcedenti. Et Pelagiani non asserunt expresse non distingui mortale a veniali, sed colligitur ex eorum doctrina, quia dicunt iustos in hac vita esse sine ullis peccatis. Et probant illis testimoniis Sacræ Scripturæ quæ exigunt ab hominibus perfectionem et puritatem ab omni culpa et macula. Quibus late satisfacit Bellarminus, cap.6²⁰⁶, ostendens in Sacra Scriptura duos esse gradus perfectionis et puritatis: alium qui vacat omni culpa simpliciter quamvis infectus sit culpis levibus et secundum quid, quales sunt veniales; et hic gradus est viatorum non habentium speciale privilegium. Alius gradus est qui etiam a culpa et macula secundum quid est prorsus liber; et hic est tantum beatorum.

Sed redeo ad errorem Calvinii cuius fundamentum fuit: 1^{um}, quia mortale peccatum est quod transgreditur Dei legem; sed omne peccatum est contra Dei legem; Ergo omne peccatum est mortale. CONFIRMATUR, quia Mt 5 [cf 19] ait Christus Dominus : *Qui contempserit unum de mandatis istis minimis minimus vocabitur in regno cælorum.* Sed RESPONDEO peccatum veniale non esse contra legem Dei simpliciter sed secundum quid, ut dicitur dubio 2. Et Christus Dominus, Mt 5, ea præcepta dicit minima quæ ipse ferebat, idque modestiæ causa, licet ipsa essent maxima, ut explicat Chrysostomus, homil.16 *In Matthæum*²⁰⁷ et Theofilactus²⁰⁸. Vel e converso præcepta legis veteris appellat minima quia præcepta novæ legis longe excellentiora sunt, ut intelligit Augustinus, libro 1 *De sermone Domini in Monte*, cap.12²⁰⁹, et Anselmus, in commentario²¹⁰. Vel minima præcep[f.94]ta dicuntur quæ ad Domini passionem et humilitatem credendam et imitandam pertinent, licet eadem sint magni momenti, ut explicat Hilarius²¹¹. Et secundum has tres explicationes minima præcepta dantur quæ obligant sub mortali; et minimus in regno cælorum dicitur ille qui æterno supplicio dignus est, quamvis sit in ecclesia militanti quæ sæpe dicitur cælorum regnum, ut quando comparatur sagenæ congreganti ex omni genere piscium.

²⁰⁶ ID. *Ibid.*, c.6 : e.c., p.221b.

²⁰⁷ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliæ in Matthæum*, homil.16 : PG 57 243 4.

²⁰⁸ THEOFILACTUS BULGARIE ARCHIEPISCOPUS, *Enarratio in Evangelium Matthæi*, (5 19) : PG 128, 194 A.

²⁰⁹ AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte libri duo*, c.12 : CCL 35 21ss; PL 34 1239s.

²¹⁰ ANSELMUS, *Enarrationes in Evangelium Matthæi*, c.5 : Colonia 1612, p.29b.

²¹¹ HILARIUS, *In Evangelium Matthæi commentarius* : SC 254 134; PL 9 937 AB.

Possimus etiam minima præcepta intelligere illa quæ obligant solummodo sub veniali et sunt secundum quid præcepta, ut infra, dubio 11, et nihilominus plectendus erit æterno supplicio ut minimus in regno cælorum non quidem ille qui solverit nihil docendo, sed ille qui solverit et docuerit sic homines, depravando verbum Dei ad sua peccata defendenda. Et consonant Hieronymus in commentario²¹², et Augustinus libro 1 *De sermone Domini in Monte*, cap.15²¹³, existimantes ibi suggillari scribas et phariseos qui divina præcepta explicando corrumpent, ut cum docebant diligendum esse proximum et odio prosequendum inimicum.

2^{um} fundamentum sumitur ex verbis Domini ad Petrum, Ioan 13 [8]: *Si non laveris te non habebis partem mecum*. Ubi D. Augustinus²¹⁴ et D. Bernardus, in sermone *De Cæna Domini*²¹⁵, intelligunt lotionem a peccatis venialibus, colliguntque ex sequentibus verbis: *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*. Igitur venialia peccata excludunt a parte seu hæreditate Christi Domini, scilicet a regno cælesti; quare illa etiam erunt mortalia. RESPONDEO venialia excludere a regno cælesti, non absolute, sed quousque abluantur quoad culpam et pœnam virtute passionis Christi Domini, quia *nihil coinquinatum intrabit in illa*, Apoc 21 [27]. Quod si velis cum Basilio, lib.1 *De Baptismo*, cap.2²¹⁶, intelligere exclusionem absolute a regno cælesti, qualis per peccatum mortale incurritur, tunc de materiali pedum lotionem accipienda sunt verba illa, ita ut peccatum mortale foret in Petro si in ea re non obe[f.94v]diret manifesto Domini imperio.

Ad eundem errorem confirmandum adduci possunt quædam testimonia sanctorum: 1^{um} Basilio in quæstionibus compendio explicatis, interrogatione 4²¹⁷, ubi ait nullum peccatum esse contemnendum ut parvum, cum Paulus scripserit per transgressionem legis Deum inhonorari [Ro 2 23] et stimulum peccati esse mortem [cf 1 Cor 15 56], et clarius in quæstione 293²¹⁸ ait in Novo Testamento nullam inveniri di-

²¹² HIERONYMUS, *Commentarii in Evangelium Matthæi*, : CCL 77 27; PL 26 37B.

²¹³ AUGUSTINUS, *De sermone Domini in Monte*, l.1, c.15 : CCL 35 22; PL 34 1240.

²¹⁴ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium tractatus CXXIV*, tr.56 : CCL 36 467s; PL 35 1788s.

²¹⁵ BERNARDUS, *In cæna Domini sermo* : PL 183 273C-274A.

²¹⁶ BASILIUS, *De baptismo*, l.1, c.2 : PG 31 1530.

²¹⁷ BASILIUS, *Quæstiones compendio explicatæ*, q.4 : Basilea 1566, t.3, p.561.

²¹⁸ ID., *Ibid.*, q.293 : e.c., p.616.

fferentiam gravium et levium peccatorum. Sed Basilius aperte docuit distinctionem mortalis et venialis peccati in caput 3^{um} Isaiaë, versus finem²¹⁹ et oratione 3 *De ieiunio*, prope initium²²⁰; ex quo loco desumi potest explicatio aliorum, ut scilicet solum loquatur de mortalibus peccatis. Hoc fere modo in Veteri Testamento imposita erat mortis pœna quibusdam peccatis, aliis vero pœna pecuniaria vel nulla. At vero in Novo Testamento explicatum est manifestius unam eandemque pœnam æternæ mortis punire omnia peccata mortalia, quamvis illa pro cuiusque criminis gravitate augenda sit vel minuenda.

2^o explicari potest ut ex venialibus nullum sit censendum leve in genere mali, quia maius est omnibus malis naturæ et pœnæ, ut constat in præcedenti dubio. Adde non certo constare an illæ *Quæstiones compendio explicatæ* sint Basili, tum quia illud opus adscriptum fuit olim Eustatio Sebasteno, ut tradit Sozomenus, lib. 3, *Historiæ*, cap.13²²¹ et Nicephorus, lib.9, cap.16 et lib.13, cap.29²²², tum etiam quia q.1 et q.95²²³, videtur auctor non admittere traditiones non scriptæ. Quare probabile est opus illud esse alicuius auctoris parum probatæ fidei, ut recte notavit Bellarminus, tomo 3 *Controversiarum* 2, lib.1, cap.13²²⁴.

2^{um} testimonium est D. Hieronymi, *Ad Celantiam*, cap.1²²⁵, ubi videtur asserere nullum esse censendum leve et veniale peccatum, cum omne cedat in contemptum Dei. Sed hoc exaggerando dic[f.95]tum est, ut diligentius evitentur leviores culpæ, et intelligendum est ut explicatus est Basilius in secunda explicatione vel ut explicatur Chrysostomus et Bernardus, infra. Deinde, quod asserit Hieronymus, *Dialogo 2 Adversus pelagianos*²²⁶: "ira, sermonis iniuria, et interdum iocus, iudicio, concilio, et gehennæ ignibus deputantur". Non est accipiendum quasi singula hæc peccata deputentur his omnibus pœnis, sed quædam quibusdam, scilicet iocus et ira tantum iudicio, ut constat ex Matthæo 5 [22], quem locum interpretabatur ibi Hieronymus. Et quidem de illius mente constat aperte in plerisque locis infra citandis.

²¹⁹ BASILIUS, *Enarratio in prophetam Isaiam*, c.3 : PG 30 342 B.

²²⁰ BASILIUS, *Opera*, : Amberes 1569, p.800a.

²²¹ SOZOMENUS, *Historia Ecclesiastica*, l.3, c.14 : PG 67 1079.

²²² NICEPHORUS CALLISTUS, *Ecclesiastica Historia*, l.9, c.16, y l.13, c.29 : PG 146 278 y 1023.

²²³ BASILIUS, *Quæstiones compendio explicatæ*, q.1 y q.95 : Basiles 1566, p.560 y 578.

²²⁴ ROBERTUS BELLARMINO, *Decima quarta controversia generalis de amissione gratiæ*, l.1, c.13 : ed. Vivès, Paris, t.5 (1873) p.242b.

²²⁵ HIERONYMUS, *Epistola ad Celantiam*, : CSEL 56 334 n.6; PL 22 1209.

²²⁶ HIERONYMUS, *Dialogi contra pelagianos libri III*, l.2 : PL 23 570 D.

3^{um} testimonium est Chrysostomi, *Sermone de levium peccatorum periculis*, tom.5²²⁷, ubi ex professo persuadet omnia peccata esse vitanda quia licet levia sint occidunt et inducunt contemptum Dei.

4^{um} est Bernardi, *In conversione Sancti Pauli*, sermone 1, post medium his verbis: "cavete ne quis parva reputet quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat non est magnum si in his maneam venialibus levibusque peccatis. Hæc est enim impoenitentia et blasphemia in Spiritum Sanctum"²²⁸.

Sed RESPONDEO ex contextu illius satis constare sermonem esse de peccatis non simpliciter venialibus et levibus sed de mortalibus minus gravibus, quæ minus indigna sunt venia. Vel explicetur ut Basilius supra, et eodem modo explicandus est D. Chrysostomus.

CONCLUSIO. *De fide est quædam esse peccata proprie et vere venialia et levia, et ea ratione distincta a mortalibus.* Quod late ostendunt contra hæreticos Rophensis, a.32²²⁹; Waldensis, tom.2 *De sacramentis* a cap.154²³⁰; Vega, 14 *In Tridentinum*, præsertim a cap.3²³¹; Castro, verbo *Peccatum*, Hæresi 11²³²; Sotus, 4, dist.15, a.1, q.2²³³; Ledesma, 1^a 4ⁱ, q.28, a.1, dub.1²³⁴; Bellarmino, tomo 3 *Controversiarum* 2, lib.1,

²²⁷ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De levium peccatorum periculis* : Paris, t.5 (1556) 707.

²²⁸ S. BERNARDUS, *In Conversione Sti. Pauli, sermo 1*: PL 183, 363A.- El texto completo es el siguiente: Et cavete deinceps ne quis parva reputet quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus levibusque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impoenitentia et blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. - En la edición crítica *Sancti Bernardi Opera*, Ediciones Cistercienses VI-1, Roma 1970, p.28s, el Sermón es mucho más breve y no contiene el texto transcrito.

²²⁹ IOANNES FISCHER ROFFENSIS, *Assertionis lutheranæ confutatio*, a.32 : Wirceburg 1597, col.627.

²³⁰ THOMAS WALDENSIS, *Antiquitatum fidei catholicæ doctrinale*, De Sacramentis, c.154 : Venecia, t.2 (1758), col.888s.

²³¹ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa...*, l.14, c.3 : Colonia 1572, p.610b-611a.

²³² ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes hæreses libri quatuordecim*, l.12, peccatum, hæresis 1^a : Paris 1578, cols. 813-824; Madrid 1773, p.397a.

²³³ DOMINICUS SOTO, OP, *Commentarii in Quartum Sententiarum*, d.15, q.1, a.2 : Salamanca, t.1 (1557), p.723b.

²³⁴ M. DE LEDESMA, *Commentarii in IV Sententiarum*, 1 p., q.28, a.1, dub.1 : Coimbra 1555, p.563a.

a cap.5²³⁵; Valentia, 1^a 2^{ae}, disp.6, q.18²³⁶.

PROBATUR 1^o quia ita definitur in Tridentino, sess.6, c.11 et 13 et 15, et sess. 14, [f.95v] c.5 et 7²³⁷ et in Milevitano, can. 7 et 8²³⁸.

2^o PROBATUR quia in Sacra Scriptura habemus aperte quædam peccata afferre mortem animæ et auferre Dei amicitiam, alia vero non. De huiusmodi morte dictum est Adamo *in quacumque die comederis ex eo morte morieris*, quod de morte spirituali quæ per peccatum ipso facto committitur necessario intelligendum est, ut vult Augustinus, 13 *De Civitate*, cap. 12 et 15²³⁹; Gregorius, in *Registro*, lib.6, cap.195²⁴⁰; Eucherus²⁴¹ et Glossa ibi²⁴² quamvis etiam reliquæ duæ mortes corporis et gehennæ comprehendantur ibidem quasi in radice, ut recte D. Augustinus. Insuper Ezechiel, 18 [26]: *Si averterit se iustus a iustitia sua etc numquid vivet* et Sapientia 16 [14]: *homo per malitiam occidit animam suam* et Ecclesiastico 21 [2s]: *quasi a facie colubri fuge peccatum, [...] dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum*. Et Paulus ad Romanos 6 [16]: *an nescitis quoniam cui exhibetis vos ad obediendum servi estis eius cui obedistis sive peccati ad mortem sive obeditionis ad vitam*; Ecclesiastico 15 [18]: *ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi*. Insuper eisdem peccatis dissolvi amicitiam inter Deum et homines tota Scriptura clamat, ut illud *odio est Domino impius et impietas eius* [Sap 14 9]; *odisti omnes qui operantur iniquitatem* [Ps 5 7]; *qui diligit me sermones meos servabit et Pater meus diliget eum, qui non diligit me sermones meos non servat* [Jn 14 23s].

Præterea sunt alia peccata quæ non excludunt gratiam nec iustitiam coram Deo. Quod inde aperte constat quia in Scriptura eiusmodi peccata tribuuntur iustis perseverantibus in amicitia Dei, Prov. 24

²³⁵ ROBERTUS BELLARMINO, *Decima quarta controversia generalis de amissione gratiæ*, l.1, c.5 : ed. Vivès, Paris, t.5 (1873) p.219.

²³⁶ GREGORIUS DE VALENTIA, *Commentaria theologica*, 1^a 2^{ae}, d.6, q.18 : Lyon 1603, t.2, col 707-716.

²³⁷ DS. *Enchyridion Symbolorum*, 1536, 1541, 1544, 1680, 1686ss; COLLANTES, *La fe de la Iglesia Católica*, 497 500.

²³⁸ *Concilium Carthaginense XV*, can.7 et 8 : DS., 229, 230; COLLANTES, 788s.

²³⁹ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.13, c.12 y 15 : CCL 48 395 y 396; PL 41 386 y 387.

²⁴⁰ GREGORIUS MAGNUS, *Epistolæ ex Registro*, l6, c.195 : Amberes 1572, t.2, fol.216v L; PL 77 894 AB.

²⁴¹ EUCHERIUS LUGDUNENSIS, *Instructionum libri duo*, l.1, XIII : CSEL 31 70; PL 50 776C.

²⁴² *Biblia Sacra cum Glossa ordinaria*, t.1 (Lyon 1590) col 75.

[16], *septies in die cadit iustus*; Psalmo 31 [6], *pro hac* (scilicet pro remissione culpæ de qua in præcedenti versiculo) *orabit ad te omnis iustus*; Ecclesiastes 7 [21], *non est homo iustus in terra qui faciat bonum et non peccet*; 1 Ioan. 1 [8], *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; Iac 2 [3 2] *in multis offendimus omnes*. Et quotidie dicendum nobis est *dimitte nobis debita nostra*. Quæ loca de venialibus peccatis interpretatur Augustinus, tract.4 *In Ioannem*²⁴³, in *Enchiridio*, cap.64²⁴⁴, *De natura et gratia*, cap. [f.96] 37 et 38²⁴⁵ et 21 *De Civitate*, cap. ultimo²⁴⁶ et libro 1 *Contra duas epistolas pelagianorum*, cap.14²⁴⁷, et D. Chrysostomus, hom. in id Ps 142 [2]²⁴⁸ *non intres in iudicium cum servo tuo quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, idem colligit ex his verbis, et confirmat quotidiana oratione *dimitte nobis debita nostra*; quo testimonio ad eandem conclusionem probandam utitur D. Gregorius in 31 caput Iob, lib.21, cap.9²⁴⁹; D. Bernardus, sermone *In Cæna Domini*, fine²⁵⁰; Beda, in citata verba Proverbiorum 4²⁵¹. Et Augustinus, lib. 1 *Contra duas epistulas pelagianorum*, cap.14²⁵² et D. Gregorius citatus inde colligunt discrimen inter peccatum et crimen, nam sine peccato nullus potest esse, et ideo peccatum dicitur sive sit veniale sive mortale, crimen vero solum mortale. Et ideo Paulus, 1 Cor. 1 [8] sperat illos *confirmandos esse usque in finem sine crimine*, et Tim 3 [10] et ad Tit 1 [7] vult diaconos et episcopos eligi qui *sine crimine* sint. D. Hieronymus, dialogo 2 *Contra pelagianos*²⁵³, idem probat ex citatis verbis Psalmi 32 *pro hac orabit ad te omnis sanctus*; et ad Hebr. cap.5 [3] ubi sacerdos dicitur offerre sacrificium prius pro suis peccatis, nam si iustus, inquit, non esset sacerdos non iuberetur offerre sacrificium, quod si idem vacaret omni

²⁴³ AUGUSTINUS, *In Ioannis evangelium tractatus XXIV*, tr.41, n.9 : CCL 36 362; PL 35 1696 248.

²⁴⁴ AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate*, n.64 : CCL 46 83s; PL 40 262.

²⁴⁵ AUGUSTINUS, *De natura et gratia*, c.37 y 38 : CSEL 60 264ss; PL 44 267ss.

²⁴⁶ AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l.21, c.27 : CCL 48 800s; PL 41 746s.

²⁴⁷ ID., *Contra duas epistolas pelagianorum*, l.1, c.14 : CSEL 60 446s; PL 44 563.

²⁴⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Expositio in Ps 142* : Paris, t.1, col.1048ss; PG 55 446ss.

²⁴⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, l.21, c.9 : CCL 143B; PL 76 201.

²⁵⁰ BERNARDUS, *In Cæna Domini sermo* : PL 183 274.

²⁵¹ BEDA, *In Proverbia Salomonis libri tres*, l.2, (Prv 24 16) : CCL 119B 122; PL 91 1009.

²⁵² AUGUSTINUS, *Contra duas epistulas pelagianorum*, l.1, c.14 : CSEL 60 446s; PL 44 563s.

²⁵³ HIERONYMUS, *Dialogi contra Pelagianos libri III*, l.2, : PL 23 562.

culpa, non iuberetur hostias offerre pro suis peccatis.

3° PROBATUR quia sunt quædam peccata quæ puniuntur æterna pœna, Ps 48 [15] *sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos et ite maledicti in ignem æternum*, [Mt 25 41] et alibi sæpe. Alia vero peccata sunt quæ non puniuntur æterna pœna, quod D. Hieronymus²⁵⁴ colligit ex illo Mt 5 [22] *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui dixerit raca reus erit concilii, qui autem dixerit fatue reus erit gehennæ ignis*, ubi distinguitur duplex iniuria, alia gravior et digna æternis tormentis, alia vero levior leviori pœna punienda. Idem colligunt Chrysostomus, hom. 16 *In Mt*²⁵⁵, Gregorius, 25 *Moralium*, Cap. 5 et 9²⁵⁶; Hilarius²⁵⁷, Augustinus²⁵⁸ et Theophilactus²⁵⁹, in commentario illius loci. Hanc rationem confirmat 1° D. Hieronymus, 2 lib. *Adversus Iovinianum*, cap.16²⁶⁰, his verbis: sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem millia talenta [f.96v] debere, aliud quadrantem. Et de otioso verbo et de adulterio rei tenebimur, sed non est idem suffundi, et torqueri, erubescere et longo tempore cruciari. CONFIRMATUR 2° quia propterea 1 Cor 3 [12.15] ille qui *superædificat lignum, fœnum et stipulam salvus erit quasi per ignem*. Unde constat esse aliqua peccata quæ punienda sint igne sed non æterno et quibus non amittitur æterna salus, ut optime probat Augustinus, *De fide et operibus*, cap.15²⁶¹ et lib.21 *De Civitate*, cap.26²⁶², et in *Enchiridio*, cap.78²⁶³; Hieronymus, lib.2 *In Iovinianum*²⁶⁴; Ambrosius, *Sermo 20 in Ps. 118*²⁶⁵; Gregorius, 4 *Dialogorum*, cap.39²⁶⁶; Anselmus, 1 Cor 3²⁶⁷; Origenes, *Homilia 6*

²⁵⁴ HIERONYMUS, *Commentarius in evangelium Matthæi*, (5 22) : PL 26 37s.

²⁵⁵ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Commentarius in S. Mathæum evangelistam*, Homilia 16 : PG 57 243.

²⁵⁶ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, l.25, c.5 y 9 : CCL 143B 1233 y 1247; PL 76 322 y 334.

²⁵⁷ HILARIUS, *In evangelium Matthæi commentarius*, : PL 9 937.

²⁵⁸ AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte*, : CCL 35 20ss; PL 34 1239s.

²⁵⁹ THEOPHILACTUS, ARCHIEPISC. BULGARIE, *Enarratio in Evangelium Matthæi*, PG 123 191-194.

²⁶⁰ HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum libri duo* : PL 23 331.

²⁶¹ AUGUSTINUS, *De fide et operibus*, c.16 : CSEL 41 71s; PL 40 215s.

²⁶² AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l.21, c.26 : CCL 48 796s; PL 41 743s.

²⁶³ AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate*, n. 78 : CCL 46 92s; PL 40 269s.

²⁶⁴ HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum libri duo*, l.2 : PL 23 331.

²⁶⁵ AMBROSIUS, *Expositio Psalmi 118*, sermo 20 : CSEL 445-473; PL 15 1579s.

²⁶⁶ GREGORIUS MAGNUS, *Dialogus in pastoralia* : Amberes, t.2 (1572) fol.44v G-I; PL 77 393-396.

²⁶⁷ Aparece en edición de Paris 1549 fol.62s; pero PL 158 16 A dice constar non

in *Exodum*²⁶⁸ et 14 in *Leviticum*²⁶⁹ et *Homilia 12 in Ieremiam*²⁷⁰ et 25 in *Numeros*²⁷¹. Plura ex iis locis adducit Vega, 14 In *Tridentinum*, cap.4²⁷². Explicat autem eadem verba ex professo D. Thomas in sequenti q.89, a.2²⁷³.

4°. Eandem conclusionem PROBAT D. Hieronymus, 2° *Contra Iovinianum*, cap.16²⁷⁴ ex capite 5 [16] Ioannis Epistolæ [1^{ae}] his verbis: *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem, qui vero peccaverit ad mortem orabit pro eo*. Cernis quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam; si pro maioribus, difficilis impetratio sit. Unde de populo Israël dicitur ad Ieremiam, cap.7 [16]: *noli orare pro populo hoc nec assumes pro eis deprecationem, nec obsistas mihi, quia non exaudiam te*. Hæc Hieronymus. Loquebatur autem antea expresse de venialibus peccatis. Eodem fere modo explicat illa verba Ioannis D. Ambrosius, lib. 1 *De pænitentia*, cap.9²⁷⁵, ubi peccatum ad mortem intelligit grave, pro quo non possit orare quilibet peccator, sed opus sit orare aliquem iustum. Et lib.2, cap.9²⁷⁶, peccatum ad mortem appellat illud quod filius prodigus fatebatur dicens: *peccavi in cælum et coram te* [Lc 15 21], et David dicens: *tibi soli peccavi* [Ps 50 6]. Similiterque etiam Bernardus, *Sermone in Cæna Domini*, versus finem²⁷⁷, venialia peccata appellat peccata non ad mortem. Quam expositionem sequuntur iuniores aliqui in eum locum. Eandem tamen alii dicunt esse improbabilem quia, inquiunt, peccato veniali non aufertur vita; hæc autem aufertur peccato non ad mortem, siquidem ait Ioannes: *petat et dabitur ei vitam* [f.97] *canti non ad mortem*. Sed hoc argumentum retorqueri potest in adversarios; si enim peccatum non ad mortem aufert vitam, iam est peccatum ad mortem. Et ideo RESPONDEO, satis commode intelligi ex

esse Anselmi sed maxime Hervæi monachi Burgidolensis. HERVÆUS BURGIDOLENSIS: PL 181 841s.

²⁶⁸ ORIGENES, *In Exodum homiliæ*, hom. 6 : PG 12 334.

²⁶⁹ ID., *In Leviticum homiliæ*, hom.14 : PG 12 555 BC.

²⁷⁰ ID., *In Ieremiam homiliæ*, hom.16 (12 según S. Jerónimo) : París 1619, hom.12, p.385aB; PG 13 446.

²⁷¹ ID., *Super Numeros*, hom.25 : París 1619, p.169; PG 12 769s.

²⁷² ANDREAS VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.4 : Colonia 1572, p.613 b.

²⁷³ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*; ed. leon. t.7, p.142s.

²⁷⁴ HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum libri duo*, l.2 : PL 23 342.

²⁷⁵ AMBROSIUS, *De pænitentia*, l.1, c.9 : CSEL 73 138-143; PL 16 473-481.

²⁷⁶ ID., *Ibid.*, l.2, c.3 : CSEL 73 170s; PL 16 500.

²⁷⁷ BERNARDUS, *In Cæna Domini sermo*, : PL 183 273 C.

phrasi qua diximus medicum vitam dedisse ægroto, quia infirmitatem abstulit quæ disponebat ad mortem. Alia obiectio horum doctorum solvitur ex ipsa explicatione Patrum. Explicatur etiam peccatum ad mortem esse finalis impœnitentia, pro qua nihil prodest oratio. Ita explicat Augustinus, 1^o *Retractationum*, cap. 9²⁷⁸, et *De correptione et gratia*, cap. 12²⁷⁹; D. Gregorius, 16 *Moralium*, cap. 31²⁸⁰; Magister, 4, d.43²⁸¹, ubi communiter scholastici; D. Thomas, *De malo*, q.3, a.15 ad 3²⁸²; *Interlinealis* et Lyra²⁸³; et fere idem videtur sentire D. Hieronymus in id Ieremiæ 14 [11]: *Noli orare pro populo isto in bonum*²⁸⁴.

5^o PROBATUR, quia peccata quædam significantur in Scriptura per res minimas ut ostendantur esse levia et facili negotio obtineri de illis veniam. Sic enim 1 Cor 3 [12] dicuntur lignum, fœnum et stipula, ut in q. sequenti, a.2. Sicque Hieronymus, Mt 5²⁸⁵ ait peccatum veniale significari per quadrantem, cum Origene, *Homilia 35 in Lucam*²⁸⁶. Et Mt 7, ait Hieronymus²⁸⁷ significari per festucam. Idem, Chrysostomus, *Homilia 24 in Matthæum*²⁸⁸ et Tertullianus, lib. *De anima*, cap.17²⁸⁹. Et Mt 23 [26] ait denotari culice. Idem Cyprianus, *Sermone de eleemosyna*²⁹⁰ et lib.4, epist.2²⁹¹; Ambrosius, Lc 12²⁹²; Eusebius

²⁷⁸ AUGUSTINUS, *Retractationum libri duo*, l.1, c.19 : CCL 57 59; PL 32 616.

²⁷⁹ AUGUSTINUS, *De correptione et gratia*, c.12 : PL 44 938.

²⁸⁰ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, l.16, c.68 : CCL 143 847; PL 75 1160.

²⁸¹ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, l.2, dist.43, c.1 : ed. Quaracchi (1916) t.1, 535s.

²⁸² THOMAS AQ., *Quæstiones disputatæ de malo*, q.3, a.15 c : ed. leonina 23, 100s.

²⁸³ *Bibiorum Sacrorum Glossa Ordinaria et Postilla Nicolai Lyrani* : Lyon, t.6 (1590) col.1418.

²⁸⁴ HIERONYMUS, *Commentarius in Ieremiam prophetam*, l.3, c.14 : CCL 74 140; PL 24 801D 802A.

²⁸⁵ HIERONYMUS, *Commentariorum in Matthæum libri IV*, 5 26 : CCL 67 30; PL 26 385.

²⁸⁶ HIERONYMUS, *Translatio homiliarum Origenis*, In Lc hom.35 : PL 26 318-324.

²⁸⁷ ID., *Commentarius in Mt*, l.1, c.7 : PL 26 47D 48A.

²⁸⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Matthæum homiliæ*, hom.23 y 24 : PG 57 309.

²⁸⁹ TERTULLIANUS, *De anima*, c.35 : CSEL 20 361 1-6; PL 2 753s.

²⁹⁰ Cf CYPRIANUS, *De opere et eleemosynis*, 1-3 : CCL 3A 55s; PL 4 625ss.

²⁹¹ CYPRIANUS, *Epistulæ* : quizás CSEL 3/2 713; PL 4 636s.

²⁹² AMBROSIUS, *Expositio evangelii Lucæ*, (Lc 11 39) : CSEL 32/4 326; PL 15 1814 AB.

Emesanus, *Homil. 9*²⁹³; Augustinus, sermone 29 *De verbis Apostoli*, ad Ephes 5 [27] ait per maculam significari peccatum mortale, per rugam veniale²⁹⁴; idem, lib. *De bono coniugali*²⁹⁵ et in *Enchiridio*, cap.43²⁹⁶.

6° PROBATUR, quia peccata venialia nondum remissa in hoc sæculo remittuntur in futuro, non vero peccata mortalia, ut docent D. Gregorius, 4 *Dialogorum*, cap.33²⁹⁷; D. Bernardus, *Sermone 66 in Cantica*²⁹⁸; Glossa, Mt 3²⁹⁹; D. Augustinus³⁰⁰, cuius verba refert et sequitur D. Thomas, *De malo*, q.7, a.11, in *Sed contra*³⁰¹; Alexander, 4 p, q.65, mem.3, a.3³⁰², id confirmat ex Augustino, libro *De vera et falsa pœnitentia*, [f.97v] cap.4³⁰³ et Palacio, 4, d.21, q.1³⁰⁴ affert testimonium Gregorii Nysseni, in oratione quæ incipit *non esse dolendum*³⁰⁵ et ex Philone iudæo, lib.2 *De monarchia*, et est communis sententia scholasticorum, 4, d.21 et 3 p, q.87, a.1. Et habet fundamentum aliquod in illis verbis Mt 12 [32]: *non remittetur ei nec in hoc sæculo nec in futuro*.

7° PROBATUR, quia sacramentalia ad delenda venialia et non ad delenda mortalia in Ecclesia recepta sunt tam antiqua consuetudine ut aliqua illorum cepisse credantur ab Apostolis, nam quintus a Petro pontifex Alexander I unius memini cap. *Aqua*, de consecratione, d.3³⁰⁶. Et oratione dominica tanquam certum sacramentale refert Concilium Toletanum IV, cn.9³⁰⁷. Et eius memini D. Augustinus, *Epistola 108 ad*

²⁹³ EUSEBIUS EMESANUS, *Homilia 9* : PG 86 525.

²⁹⁴ AUGUSTINUS, *De verbis Apostoli*, sermo 29 : Basilea, t.10 (1569) 395 BD; PL 38 983a.

²⁹⁵ ID., *De bono coniugali*; CSEL 41 195; PL 40 377s.

²⁹⁶ AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium*, c.68 : CCL 46 86; PL 40 264s.

²⁹⁷ GREGORIUS MAGNUS, *De vita et miraculis patrum italicorum et de æternitate animarum*, Dialogo 4 : Amberes, t.2 (1572) fol.43AB; PL 77 376.

²⁹⁸ BERNARDUS, *Sermones in Cantica*, sermo 66 : PL 183 1100A.

²⁹⁹ *Glossa ordinaria*, in Mt 3 11 : PL 114 82.

³⁰⁰ AUGUSTINUS (?), *Sermo 104*, n.1 : PL 39 1946.

³⁰¹ THOMAS AQ., *Quæstiones disputatæ de malo*; ed. leonina, 23, 186b.

³⁰² ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiæ*, 2 p., inq.3, tr.1, sect.1, q.1, c.10 : ed. Quaracchi 1930, t.3, p.300.

³⁰³ No está en las obras de S. Agustín.

³⁰⁴ MIGUEL DE PALACIO, *Disputationum theologiarum in quartum librum sententiarum*, 4, dist.21, disp.1 : Salamanca 1577, fol.445a.

³⁰⁵ GREGORIUS NYSSENUS, *Homilia "Non esse dolendum"* : PG 46 528.

³⁰⁶ ALEXANDER I, *Decreta* : CIC, ed. Friedberg 1 1358; PL 130 94AB.

³⁰⁷ Concilio 4 de Toledo, cn.10 : GONZALEZ - TEJADA, *Colección de cánones de la Iglesia Española*, t.2 (Madrid 1850) p. 271.

*Seleucianam*³⁰⁸, et in *Enchiridio*, cap.71³⁰⁹. Et similiter de remediis contra peccata iustorum mentionem facit Cyprianus, in sermone *De eleemosyna*³¹⁰. Sunt præterea alia sacramentalia de quibus scholastici, 4, d.16, et 3 p., q.87, a.3.

8° PROBATUR ratione, quia sunt aliqua peccata tam levia ut sint secundum quid peccata et sint secundum quid contra legem et amicitiam; alia vero simpliciter peccata et contra legem et amicitiam, infra, dubio 12 et 13. CONFIRMATUR quia nullus posset aliquandiu perseverare in gratia et salvus fieri si levissimi quique defectus gratiam excluderent.

Dubitatur 8°:

Utrum peccata mortalia et venialia distinguantur per aliquid intrinsecum et essentielle.

Inter eos hæreticos qui admittunt discrimen venialium a mortalibus varia sunt deliria:

1^{um} Wiclef omnia peccata prædestinatorum esse venialia; omnia vero reproborum esse mortalia.

Hunc errorem refert et impugnat Waldensis, tomo 2 *De sacramentis*, [f.98] cap.154 et 155³¹¹; Castro, verbo *peccatum*, hæresi 12³¹²; Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.3³¹³; Bellarmino, tom.3 *Controversiarum* 2, lib.1, cap.4³¹⁴.

Aperte convincitur falsitatis: 1° ex Sacris Scripturis referentibus multa mortalia prædestinatorum, ut Davidis qui Nathan propheta, 2 Regum 12 [5ss] dixit filium esse mortis; et Petri negantis sub iuramento [Mc 14 71]; et illius feminæ quæ erat in civitate peccatrix cui Dominus remisit peccata multa quoniam dilexit multum [Lc 7 47]; et

³⁰⁸ AUGUSTINUS, *Epistula ad Seleucianam*, : CSEL 62 646; PL 33 1089 8.

³⁰⁹ ID., *Enchiridion ad Laurentium*, c.71 : CCL 46 88; PL 40 265s.

³¹⁰ CYPRIANUS, *De opere et eleemosynis liber*, : Amberes 1568, p.305; PL 4 625.

³¹¹ T. WALDENSIS, *Antiquitatum fidei catholicæ doctrinale*, t.2, De Sacramentis, c.154 y 155 : Venecia 1758, col.888 y 893.

³¹² ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes hæreses libri quatuordecim*, l.12, *Peccatum*, hæresis 12° : Paris 1578, col.824ss.

³¹³ A. VEGA, *De iustification*. . . , l.14, c.3 : e.c., 610 b.

³¹⁴ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversia de amissione gratiæ*, l.1, c.4 : ed. Vivès, t.5 (1873) p.216b.

Pauli qui blasphemum se et contumeliosum appellat [1 Tim 1 13] de quibus late Bellarmino citato cap.7³¹⁵. E contra vero reprobos interdum peccare venialiter constat, quia verbum otiosum aut mendacium aliquod officiosum non erit mortale in reprobo.

2^o reiicitur idem error quia supponit alium, scilicet reprobis nulla peccata remitti, et prædestinatis nulla peccata imputari, unde omnino aufert vim et necessitatem baptismi et aliorum sacramentorum et virtutis pœnitentiæ, nam nec prædestinatis opus erunt nec reprobis prodesse poterunt; sed non est huius loci probare vim et necessitatem sacramentorum.

3^o quia si propterea Wiclef dicit omnia peccata prædestinatorum esse venialia quia consequuntur veniam, dicit reprobos nunquam consequi veniam peccatorum si omnia illorum peccata dicit mortalia; hoc autem est contra Tridentinum, sess.6, cn.17³¹⁶, decernens reprobos aliquando esse in gratia.

4^o revincitur efficaciter ex omnibus sanctis adductis in præcedenti dubio, quia culpas veniales distinguunt a mortalibus ut leves a gravibus, et non ex decreto prædestinationis aut reprobationis divinæ.

5^o quia constare potest nobis aliquod peccatum esse mortale ut colligitur ex eisdem Patribus et Tridentini, sess.14, cap. 5³¹⁷, at vero quis sit reprobis quisve prædestinatus non potest nobis constare, ex Tridentino, sess.6, cap.12³¹⁸.

2^{us} error fuit Philippi Melanchton, apud Vegam, 14 *In Tridentinum*, cap.3³¹⁹, dicentis omnia peccata ante baptismum esse mortalia et post baptismum veniales esse ignorantias et omissiones non affectatas.

Hic error eisdem fere rationibus devincitur: 1^o, quia aliter distinguunt Patres, ut diximus.

2^o, quia graviora sunt in christianis quælibet peccata cæteris paribus propter maiora beneficia et maiorem scientiam boni et mali, ut colligitur ex Pauli ad Hebræos, 6 et 10.

[f.98v] 3^o, quia contra rationem est verbum otiosum existimare mortale peccatum in infideli. At vero ignorantiam quamlibet quantumcumque crassam rei gravissimæ, ut mysteriorum fidei et aliorum

³¹⁵ ID., *Ibid.*, c.7 : ed.c. p.224.

³¹⁶ DS 1567.

³¹⁷ DS 1680.

³¹⁸ DS 1540.

³¹⁹ A. VEGA, *De iustificatione...*, l.14, c.3 : e.c. 610b.

quæ necessaria sunt ad salutem et omissionem cuiusque præcepti non affectatam, esse venialem in homine baptizato. Quod autem videtur dicere Philippus in renatis omnia peccata ex passione vel ignorantia esse venialia, impugnabitur infra, q.76, a.4 et q.77.

3^{us} error ait solam infidelitatem esse peccatum mortale. Cuius auctor est Lutherus, quem sequuntur Melancthon, Calvinus et Bucerus, apud Castrum, verbo *peccatum*, hæresi 10³²⁰.

Hunc impugnare non est huius loci cum inde pendeat an sola fides iustificet de quo in materia de gratia. Vide Castrum, verbo *fides*, hæresi 2³²¹; Vegam, 14 *In Tridentinum*, cap 7 et 8³²² et Bellarmino, tom 3 *Controversiarum 3*, lib.1, cap.8³²³, apud quem constat absurdissima contineri in hoc errore: 1^{um} est peccata venialia nullo modo imputari fidelibus, cuius oppositum constat ex plerisque testimoniis Sacræ Scripturæ et Patrum in dubio præcedenti dicentium petendam esse veniam peccatorum venialium et procuranda remedia, quod opus non foret si non imputarentur. 2^{um} est omnia peccata quod ex se est mortalia esse, de quo in errore 5.

4^{us} error, quem ex incerto auctore refert Vega, 14 *In Tridentinum*, cap.1³²⁴, dicebat non quovis mortali amitti gratiam, sed tunc solum quando peccator sine freno dat se præcipitem vitiis.

Sed ex dictis reiicitur hic error, quia certum est unicum peccatum esse posse quo amittatur gratia, ut infidelitatem, odium Dei et illud adulterium Davidis vel inobedientia Adami. Quanta vero debeat esse gravitas peccati ut gratiam excludat, alterius est considerationis. CONFIRMATUR, quia fidelibus ait Paulus 1 Cor 6 [9s] *nec fures nec avari nec adulteri etc regnum Dei possidebunt*. Idem Gal 5 [19ss] et ad Eph 5 [5] et Iac 2 [10]: *qui offenderit in unum factus est omnium reus*.

Denique ex catholicis aliqui asserunt peccata omnia de se, si districte iudicentur, esse mortalia et mereri pœnam æternam, tamen ex Dei benignitate factum esse ut quædam peccata quasi venialia impu-

³²⁰ ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes hæreses libri quatuordecim*, l.12, *Peccatum*, hæresis 10^a : Paris 1578, col.812s.

³²¹ ID., *Ibid.*, col.464-491.

³²² A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.7 y 8 : Colonia 1572, p.619-624.

³²³ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversia de amissione gratiæ*, l.1, c.8 : ed. c. p.226-229.

³²⁴ A. VEGA, *De iustificatione...*, l.14, c.1 : e.c. 607b.

tentur a Deo ut nec gratia spolient nec æterna pœna puniantur. Ita Gerson, 3 p. *Theologiæ de vita spirituali*, lectione 1, corollaria 1 et 3 et 4³²⁵, alphabeto 61³²⁶; Almain, 2^o *Moralium*, [f.99] cap.22³²⁷. Satis ex professo Rophensis, c.32 contra Lutherum³²⁸. Limitat autem Gerson ad venialia deliberata et idem significat Rophensis. Aut idem aut vade similis videtur fuisse error Magdeburgensium et Chemitii apud Bellarminum, tomo 3 *Controversiarum* 2, lib.1, cap.4³²⁹.

Hæc sententia expresse continetur in quibusdam verbis quæ Vega, *In Tridentinum*, sess.14, cap.16, col.1³³⁰, refert ex Hieronymo, sed locum non citat, et diligenter quæsitâ a me, non sunt inventa ea omnia verba, sed tantum pars illorum in epistula ad Celantiam, cap.1, fine³³¹, de quibus dixi in præcedenti dubio. Adducit etiam Vega Richardum a Sancto Victore in tractatu *De differentia peccati mortalis et venialis*³³², sed Richardum ibi expresse docet oppositum.

Fundamenta huius sententiæ esse possunt quæ ex Sacra Scriptura, ex Hieronymo, Basilio et Bernardo, in dubio præcedenti allata sunt pro sententia Calvinii, et explicata.

Præterea ARGUITUR 1^o quia peccatum veniale posset in æternum puniri si Deus vellet, nam posset illud non remittere, quod si non remittat non poterit homo gloriam obtinere, et quamvis in æternum puniatur non delebitur reatus pœnæ quamdiu non dimittitur culpa.

2^o quia posset Deus pro quocumque peccato etiam levi auferre a iusto gratiam; iam ergo quodlibet peccatum esset mortale. Sed his et aliis argumentis plenius satis fiet in dubio sequenti post 2^{am} conclusionem.

Hæc sententia sub quadam veritate continet latentem errorem, quæ ut distinguantur:

³²⁵ IOANNES GERSON, *De vita spirituali animæ*, lect.1, coroll.1,4 y 5 : oeuvres complètes, vol.3 (Paris 1962), p.120s.

³²⁶ PSEUDOGERSON, *Tractatus de elevatione mentis in Deum, cui titulus est, Alphabetum divini amoris*, : (I. Gersonii tertia pars operum,) Paris 1606, cf 1139s.

³²⁷ No hemos podido verificar esta nota.

³²⁸ IOANNES FISCHERIUS (ROFFENSIS), *Assertionis lutheranæ confutatio*, a.32 : Wirceburg (1597) col.623.

³²⁹ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione gratiæ*, l.1, c.4 : ed. Vivès, t.5, p.218.

³³⁰ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, l.14, c.16 : Colonia 1572, p.639b.

³³¹ HIERONYMUS, *Epistola 148, ad Celantiam*, 6 : CSEL 56 334; PL 22 1207.

³³² RICARDO DE S. VICTOR, *De differentia peccati mortalis et venialis*, : Venecia 1592, p.389bC; Opusculæ théologiques, Paris 1967, p.292s.

DICO 1°. Sic potest usurpari nomen peccati mortalis ut eius ratio sit hominem actu privari gratia et gloria et de facto damnari æternis cruciatibus, abstrahendo ab hoc quod qualitas malitiæ intrinseca actui digna sit tanta pœna. Sic potest Deus efficere ut quodlibet peccatum esset mortale improprie loquendo, quia in potestate Dei esset sine ulla iniuria hominis gratiam conferre ea lege ut propter quodvis peccatum etiam levissimo amittenda esset, et consequenter amitteretur gloria. Et tunc præterea potuisset Deus non dimittere culpam ex misericordia, unde sequeretur pœnam peccati levissimi fore æternam, ut probant duo argumenta quæ præcedunt. Hoc Deus præstaret ut supremus Dominus et non ut iudex. Atque id solum forte voluere Doctores catholici.

DICO 2°. Si hæc sententia velit Deum potuisse ita legibus gravare hominem ut quodlibet pec[f.99v]catum quantumcumque levissimum prohiberet sub mortali culpa, omnino falsa est; nam de lege naturali constat eam non potuisse imponi graviolem nec leviolem quam modo imposita sit; nam lex naturalis consequitur naturali sequela ex rerum naturis ita ut non possit a Deo impediri illius consequutio, sicut non potest facere ut non debeatur honor parentibus, quamvis possit mutare rerum circumstantias ut liceat quod antea non licebat et e contra, ut dictum est ubi de conscientia, supra, q.18, a.6, dub.6³³³. CONFIRMATUR 1°, quia naturalis ratio dictat levia quædam esse ut quæ ex motibus secundo primis subrepunt, et quæ leviter lædunt ut furari obolum, otiosum verbum, etc. CONFIRMATUR 2° quia benignitatis Dei est præbere vires ad servandam legem naturalem, sed non auferre illam.

De lege autem positiva aliqui dicunt Deum de potentia absoluta ut supremum Dominum potuisse condere leges quibus sub mortali teneremur ad ea quæ modo præcepta sunt sub veniali tantum

Hæc sententia quantum ad aliquas res graviores et quæ ad aliquem finem bonum valde conducere possunt verissima est; sic enim primis parentibus sub mortali prohibitum erat pomum, nihilominus non potest verificari de omnibus rebus.

PROBATUR 1°, quia quantumcumque Deus velit districte prohibere furtum, adhuc si propter solam honestatem iustitiæ et non propter alium finem prohibetur furtum, non poterit non esse res levissima fu-

³³³ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversia de gratia*, l.1, c.10 : ed. Vivès, t.5, p.234a.

rari pauca grana tritici, et implicat hanc rem in ratione furti habere absolute malitiam furti. CONFIRMATUR 1^o, quia de potentia absoluta noon est possibile aliquid contra prudentiam et rectam rationem regiminis, contra quam foret a fragili homine tam districte exigere minima quæque. CONFIRMATUR 2^o, quia iure conqueri possent homines de Deo tanquam de severissimo tyranno potius quam rege.

PROBATUR 2^o, quia licet daremus præceptum Dei circa singulas res etiam minimas obligare sub mortali, adhuc necessarium esset concedere circa omnes res possibile esse peccatum veniale ex subreptione cum libertate secundum quid, quia hoc non potest imputari simpliciter.

DICO 3^o. Si hæc sententia velit, in omnibus peccatis esse tantam turpitudinem, quod in se est, ut vere omnia sint mortalia, scilicet ex se digna ut propter illa Deus privet hominem gratia et addicat æterno supplicio, verumtamen Deum pro sua benignitate, non pro merito operum, non imputare eam turpitudinem nec auferre gratiam, est sententia erronea vel errori proxima. Nam, ut Belarmino refert tomo 3 *Controversiarum* 2, lib.1, cap.10³³⁴, in bulla Pii V per Gregorium XIII renovata, inter alios errores [f.100] damnatur hic: *nulla esse peccata venialia ex natura sua.*³³⁵ Præterea scholastici communiter docent in hoc sensu peccata esse mortalia et venialia ex se et intrinsece, quia scilicet quædam ex sua natura sunt levia, ita ut non sint simpliciter contra amicitiam, et ideo quantum est ex se non auferunt gratiam, quamvis Deus posset illam auferre de potentia absoluta. Ita D. Thomas in hac q.88, a.1 et 2³³⁶; Albertus, 2 p, trac.18, q.114, num.4, a.2 et 3³³⁷; Alexander, 2 p, q.123³³⁸; D. Bonaventura, 2, d.42, q.1³³⁹; Richardus, 2, d.42, a.2, q.2³⁴⁰; Scotus, 4, d.21, q.1³⁴¹; Durandus, 2, d.42,

³³⁴ ROBERTUS BELLARMINUS, *Controversiæ*. . . , 2, l.1, c.10 : ed. Vivès, t.5, 234a.

³³⁵ PIUS V, *Bulla "Ex omnibus afflictionibus"*, Errores Michælis Baii, n.20 : DS 1920.

³³⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, q.72, a.5 : ed. leon. t.7, p.132-135.

³³⁷ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiæ*, 2p., tract.18, q.114, mem.4, a.2 y 3 : ed Vivès t.33, p.339s.

³³⁸ ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiæ*, p.4, q.65, m.3, a.3 : ed. 1556, f.260b.

³³⁹ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.42, a.2, q.1 : Quaracchi, t.2 (1885) p.965a.

³⁴⁰ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*. . . , 2, d.42, a.2, q.2 : Brixiae 1591, p.512s.

³⁴¹ IOANNES DUNS SCOTUS, *In 4 libros Sententiarum*, 4, d.21, q.1 : ed. Vivès,

q.6, a.1 et 2³⁴²; Castro, verbo *peccatum*, hæresi 11³⁴³; Conradus³⁴⁴, Caietanus³⁴⁵ et reliqui thomistæ hoc articulo; Vega, *In Tridentinum*, lib.14, cap.15 et 16³⁴⁶; Bellarminus, nuper citatus.

1°. Ad hanc conclusionem PROBANDAM adduci possunt omnia testimonia Sacræ Scripturæ et Sanctorum quæ retulimus in dubio præcedenti, illa præsertim quæ peccata venialia comparant rebus levissimis, ut quadrant, rugæ, festucæ, pulici, fœno, stipulæ; cum tamen gravia peccata scilicet mortalia comparant decem mille talentis, plumbo, trabi camelo, in quibus testimoniis non ostenditur quid peccata habeant ab extrinseca misericordia vel iustitia Dei, sed quæ sint momenta cuiusque culpæ ex natura rei. Unde Sancti citati ex quorundam culparum levitate colligunt per illas non amitti gratiam.

2° PROBATUR, quia non expediret ad rectum ordinem divinæ providentiæ eum manere in gratia qui sit simpliciter peccator et habeat actum simpliciter contrarium Dei legi et amicitia; sed quædam sunt quæ de facto non excludunt gratiam ut constat ex præcedenti dubio; ergo illa peccata ex se non sunt talia ut hominem reddant simpliciter peccatorem et operantem aliquid simpliciter contrarium charitati. Maiori huius argumenti favet illud Ieremiæ 22 [24]: *si fuerit Iechonias ut annulus in manu dextera mea, inde evellam eum*, et Ezechiel 18 [24]: *si averterit se iustus a iustitia sua numquid vivet*, quibus ostenditur quoties peccatum ex se est simpliciter contra iustitiam et charitatem, toties amitti gratiam.

3°, quia non potest esse gravis culpa ex se furari obolum cum damnum et iniustitia sit tam exigua ut secundum rectam rationem pro nihilo reputetur; et præterea non potest esse quod in se est graviter imputabilis culpa quæ non habet plenam libertatem, sed tantum secundum quid.

4° PROBATUR, quia veniale ex se habet malitiam infinito intervallo

t.18 (1894) 702s .

³⁴² DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.42, q.6, ad 1 et 2: Amberes 1566, fol.203, n.12s.

³⁴³ ALFONSO DE CASTRO, *Adversus hæreses*, l.12, *Peccatum*, hæresis 11 : Paris 1578, col.815 BC.

³⁴⁴ CONRADUS KÖELLIN, O.P., *Expositio Commentaria ... in Primam Secundæ ... S. Thomæ Aquinatis*, q.88, a.2: Venecia 1589, p.701a.

³⁴⁵ TOMAS DE VIO (CAIETANO), *Comentario a la 1ª 2ª*, q.88, a.1 : ed. leonina de Sto. Tomás, 7 133.

³⁴⁶ A. VEGA, *De iustificazione doctrina universa*, l.14, c.15 y 16 : Colonia 1572, p.638ss.

minorem ma[f.100v]litia peccati mortalis, ut probatum est dubio 5.

PROBATUR 5^o, quia peccatum mortale ex natura sua dignum est pœna æterna; veniale autem ex natura sua non est dignum æterna pœna, ut constabit dubio sequenti.

Dubitatur 9:

Utrum peccatum mortale differat a veniali per reatum pœnæ æternæ et temporalis.

Ratio dubitandi est quia ita videntur Ecclesiæ Patres distinguere, præsertim Hieronymus, *Adversus Iovinianum*, cap.16³⁴⁷; Chrysostomus, *Homilia 16 in Matthæum*³⁴⁸; Gregorius, 25 *Moralium*, cap.1 et 9³⁴⁹.

Nihilominus resolutio colligitur ex duobus dubiis. Sit ergo

1^a CONCLUSIO: *Per reatum pœnæ formaliter et in se ipso consideratum non distinguuntur essentialiter peccatum mortale et veniale, ut ex professo PROBAT D. Thomas, q.72, a.5³⁵⁰, 1^o, quia reatus pœnæ omnino est preter intentionem peccantis usque adeo ut possit dari peccatum mortale licet invincibiliter ignoretur pœna aut distinctio pœnæ temporalis et æternæ; sed non dabitur peccatum mortale si invincibiliter ignoretur illa malitia ratione cuius est peccatum mortale. 2^o, quia æternitas pœnæ pendet a libera voluntate Dei qui potuisset non statuere hanc pœnarum diversitatem sed annihilare omnes homines vel omnes ad se convertere post peccata.*

Quod si OBIICIAS: bona opera distinguuntur penes præmia; ergo peccata distinctionem accipient a pœnis. RESPONDET D. Thomas citatus: 1^o non semper opera bona distinguuntur essentialiter secundum præmia, nisi quando præmium est finis actionis bonæ. 2^o non sequitur inde distingui posse peccata secundum pœnarum diversitate, quia pœna non potest esse finis intentus per peccatum.

2^a CONCLUSIO: *Per aptitudinem essentialem ad reatus pœnæ æter-*

³⁴⁷ HIERONYMUS, *Adversus Iovinianum libri duo*, l.2 : PL 23 342.

³⁴⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Commentarius in S. Mathæum evangelistam*, Homilia 16 : PG 57 243.

³⁴⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, l.25, c.1 y 9 : CCL 143B 1230 y 1247; PL 76 319 y 334.

³⁵⁰ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, q.72, a.5 : ed. leon. t.7, p.17b.

næ et temporalis distinguuntur essentialiter peccatum mortale et veniale. Hanc conclusionem intendunt Sancti initio citati et satis innuit D. Thomas, q.72, a.5³⁵¹. Colligitur [f.101] ex omnibus scholasticis quos adduximus in præcedenti dubio, dicto 3, sed præsertim hoc docent Scotus, 4, d.21, q.1³⁵²; Gabriel, 4, d.16, q.5, a.1³⁵³.

Et RATIO a priori est quia peccatum mortale est essentialiter grave et contrarium charitati, et propterea ex se privat principio vitæ, unde provenit quod irreparabile sit illius malum, ut dicetur dubio sequenti, et quod non possit integre persolvi pœna pro illo debita, quia sine gratia et charitate non potest deleri culpa, et manente culpa necessario manet reatus pœnæ, et propterea mortale peccatum ex natura sua aptum est ut deputetur æternis suppliciis, ut sicut in æternum potest manere illa culpa ex natura sua, ita in æternum maneat pœna. At vero veniale peccatum non destruit gratiam nec charitatem quæ sunt principia satisfaciendi sufficienter pro culpa et pœna; et ideo ex natura sua non est aptum ut inæternum puniatur, quamvis per accidens, propter mortale adiunctum, quandoque veniale puniatur in æternum, de quo infra, q.89, a. ultimo, dubio 2.

2º PROBATUR ratione Scoti, 4, d.21, q.1³⁵⁴, quia si veniale mereretur ex se pœnam æternam, ex consequenti mereretur pœnam damni æternam, quia beatitudo non potest esse cum aliqua pœna sensu nec cum reatu pœnæ; quare iam veniale ex se opponeretur gratiæ et charitati, quia gratia et charitas ex natura sua conferunt homini ius ad beatitudinem aliquando obtinendam; quod ius directe pugnat cum debito et reatu æternæ privationis gloriæ. Nomine pœnæ æternæ intelligo non solum pœnam inferni, sed etiam annihilationem, quia illa in æternum impedit consequitionem gloriæ. Idem confirmabitur ex sequentibus solutionibus.

Ex iisdem principiis sequitur peccatum veniale non mereri ex se pœnam temporalem quæ quoad gravitatem sit infinita sive cathegorematicæ sive syncathegorematicæ, tum quia iustus non potest pro tali pœna satisfacere ad æqualitatem ac proinde quod est ex vi peccati venialis seclusa misericordia Dei iustus esset impeditus ne unquam

³⁵¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiæ*, q.72, a.5 : ed. leon. t.7, p.17.

³⁵² IOANNES DUNS SCOTUS, *In librum quartum Sententiarum*, d.21, q.1 : ed. Vivès, t.18, p.702a.

³⁵³ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.4, d.16, [a.1, Notabile 1] Editio Tubinga, t.IV/2, 1977, p.458s.

³⁵⁴ Véase nota 352.

consequeretur gloria, tum etiam quia hac ratione non posset pœna venialis minor esse quoad gravitatem quam pœna mortalis, sed tantum quoad durationem. Vide Suarez 3 p, disp.11, sec.4³⁵⁵, et Bellarmino, tomo 3 *Controversiarum* 2, lib.1, cap. ultimo³⁵⁶.

Exacta disputatio de pœna pertinet præcipue ad q.87, a.5. Nihilominus ut interim constet huius conclusionis veritas obiicio contra illam 1°, ARGUMENTUM [f.101v] quod Almainus citatus in dubio præcedenti urget ex Gerson, quia peccatum veniale infinitate quadam excedit omne malum pœnæ, it ut licet in infinitum crescat malum pœnæ non posset adæquari malitiæ unius venialis, ut diximus esse probabilius supra, dubio 6, fine; ergo de rigore iustitiæ puniri posset pœna quavis possibili quantumcumque magna; ergo potest puniri pœna æterna. RESPONDEO concessio antecedenti, negando consequentiam. Et ratio est quia non solum pœna quæ citra dignum exigitur, sed etiam illa pœna quæ de rigore iustitiæ adæquat culpam, non potest illo modo adæquare malitiam culpæ; nam contra rationem pœnæ est ut habeat tantam malitiam quantam habet culpa, quoniam pœna simpliciter bona est et intenta a Deo ex suppositione peccati. Quo supposito pœnæ commensuratio cum culpa sumenda est secundum proportionem unius generis ad aliud genus, ad eum modum quo potentiæ aut passionis perfectio commensurata est perfectioni substantiæ a qua promanar, quamvis substantia sit longe perfectius ens quam illius potentiæ; et ad eum modum quo artificium liquod adæquatur arti, quamvis ars sit altioris ordinis quam opus factum per artem. Sic igitur quamvis nulla pœna sit malum tam magnum ut est culpa venialis, nihilominus pœna æterna maior est in genere pœnæ quam quæ exigitur a culpa levi in genere culpæ, quia culpæ quæ in genere culpæ est magna debet respondere pœna quæ in genere pœnæ sit magna, sed culpæ quæ in genere culpæ levis est, contra rationem dabitur pœna quæ in genere pœnæ magna sit, quod præterea constat ex rationibus conclusionis 2^{ae}. Addo, in pœna venialis esse quandam infinitatem secundum quid, quatenus privat Dei visione qua fruimur obiecto infinito.

2° ARGUITUR quia iusta pœna venialis est ad tempus carere Dei visione; sed hoc est maius malum quavis pœna sensus, etiam æterna et infinite intensa; ergo veniale, quod ex se est meretur pœnam sensus æternam et infinite intensam. Minor PROBATUR quia extrema quæ

³⁵⁵ F. SUAREZ, *In tertiam partem*, disp.4, sess.11 : ed. Vivès t.17, p.179-183.

³⁵⁶ ROBERTO BELLARMINO, *Controversia de amissione gratiæ*, l.1, c.14 : ed. Vivès, 5 245s.

que supplicia toleranda forent ut vel tempore brevissimo daretur copia videndi Deum; ergo carere Dei visione etiam brevissimo tempore est malum maius qualibet alia pœna. CONFIRMATUR 1^o ex verbis Augustini in sermone 2 *De omnibus sanctis*: si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus, nonne dignum erat pati omne quod triste est ut tanti boni participes haberemur³⁵⁷. CONFIRMATUR 2^o quia pœna dam[f.102]ni, etiam per tempus brevissimum, est altioris ordinis quacumque pœna sensus; ergo non adæquabitur quocumque augmento pœnæ sensus. CONFIRMATUR 3^o quia saltem si Deus commutaret pœnam temporalem carendi divina visione in pœnam sensus, posset citra excessum in ratione iustitiæ, punire veniale quacumque pœna gravissima et punire pœna æterna sensus, si cum illa simul esse posset visio Dei.

RESPONDEO distinguendo minorem principalis argumenti: nam carentia divinæ visionis ad tempus, est maius malum physice et realiter quam quælibet pœna sensus cuiusque durationis et intensionis, idque propterea quia visio Dei est bonum maius quam quod excluditur pœna sensus; nihilominus eadem carentia divinæ visionis non est malum maius secundum rectam et prudentem æstimationem moralem, alioqui dicendum foret quod uno momento et ictu oculi post mortem differri divinam visionem maior pœna sit quam si longissima vita toleravisset quis omnia damnatorum tormenta, ac proinde magis satisfaceret anima purgatorii præcise propter brevissimam moram beatitudinis, quam omnes sancti collecti in unum satisfaciunt in hac vita per quoscumque labores et pœnas; et cum constet in hac vita per pœnitentias reddi posse satisfactionem æqualem aliquorum venialium, opus esset dicere quod quæcumque morula quantumcumque levissima ante ingressum beatitudinis sufficienter satisfaceret pro quacumque multitudine et gravitate venialium, quod est satis absurdum.

Hæc doctrina CONFIRMATUR 1^o, quia si carentia divinæ visionis ad tempus, esset pœna absolute maior quacumque alia, sequeretur inde quodcumque peccatum veniale in homine existente in peccato mortali, mereri quamcumque pœnam sensus quamvis intensissimam, quia illud veniale proprie non punitur carentia divinæ visionis ad tempus, cum perpetua carentia debeatur mortalibus. Hoc argumentum clarius ostendit suas vires si constituatur in homine producto in puris naturalibus, quia non potest esse pœna carere divina visione quia non est

³⁵⁷ No hemos encontrado esta cita en S. Agustín.

elevatus ad illam, sicut vulgari homini non est pœna carere regno.

CONFIRMATUR 2^o quia si propterea quæcumque brevissima carentia visionis Dei est pœna maior quacumque pœna sensus, quia est altioris ordinis, similiter dicendum esset quemlibet actum quamvis remissum charitatis satisfacere pro pluribus et gravioribus venialibus, quam omnia tormenta tolerata per actus aliarum virtutum sine actu charitatis, etiam longissimo tempore, idque propterea quia charitatis actus perfectior est secundum suam entitatem.

CONFIRMATUR 3^o et explicatur exemplo, [f.102v] nam abscissio unius digiti vel auriculæ (præscindendo a dedecore) est pœna physice maior qualibet pœna pecuniaria, quia integritas humani corporis est bonum physice maius quibuscumque divitiis; nihilominus secundum æstimationem moralem, maior pœna est spoliari copiosissimis thesauris et relinqui in summa egestate, quam pati abscissionem unius digiti vel auriculæ, ac proinde prudens aliquis libentius illam toleraret ut effugeret summam egestatem. Et in universum æstimationem moralem non commensurari æstimationi physicæ, constabit infra, q.73, a.3, dub.2.

Ad 1^{am} confirmationem, RESPONDEO D. Augustinum non comparare omnia tormenta et gehennam cum visione Dei ad tempus breve, sed cum visione Dei æterna cum sanctis; præterea non dicit dignum esse ad visionem Dei tolerare gehennam, nisi limitando hoc ad parvum tempus.

Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO: pœna damni ad tempus brevissimum est altioris ordinis in esse physico, sed in morali æstimatione pœnæ, minor est gravissima aliqua et præsertim diuturna pœna sensus.

Ad 3^{am} confirmationem RESPONDEO commutationem unius pœnæ in aliam debere fieri secundum moralem æstimationem pœnæ, non secundum physicum excessum.

3^{um} argumentum est, quia Deus potest non condonare venialem culpam et culpa non deleta impossibile est satisfacere pro pœna debita; ergo veniale, quod ex se est, potest iuste puniri æterna pœna. CONFIRMATUR quia propterea damnati puniuntur in æternum non solum pro mortalibus sed etiam pro venialibus, quia nihil unquam satisfaciunt manente reatu culpæ, ut dicetur infra, q.87, a.4 et 5.

RESPONDEO: distinguo antecedens, nam Deus potest non condonare culpam, si agit ut supremus et absolutus Dominus gratiæ et homi-

num; si vero agat solum ut iudex habens meram potestatem puniendi venialem culpam, non potest illam punire hac pœna numquam dimittendi illam, quia gratia ex se est principium sufficiens impetrandi veniam pro venialibus culpis, sicut vita est principium decoquendi humores et expellendi morbum. Sed DICES: hoc per accidens contingit in homine existente in gratia. RESPONDEO: fateor respectu culpæ venialis per accidens esse quod homo sit in gratia, sed tamen per accidens etiam est respectu eiusdem culpæ, quod homo sit inimicus Deo et coniungi illi peccatum veniale; et propterea nos non asserimus nisi ex me[f.103]ritis venialis præcise non esse insolubilem utrum reatum scilicet culpæ et pœnæ, et in homine existente in puris naturalibu, quamdiu haberet naturalem rectitudinem in ordine ad Deum posset per illam et per naturales actus obtinere veniam culparum venialium.

4^{um} argumentum est, quia pro quolibet peccato veniali posset Deus iustum spoliare gratia, et tunc in æternum puniendus esset; ergo veniale ex se dignum est æterna pœna. RESPONDEO: Deus consideratus præcise ut iustus vindex venialis culpæ non posset spoliare gratia propter venialem culpam, posset tamen ut Dominus absolutus, sed inde non sequitur veniale dignum esse amissione gratiæ et pœna æterna.

5^{um} argumentum est, quia opus bonum quantumcumque leve, dignum est gratia et gloria æterna; ergo peccatum quantumcumque leve, dignum est æterno supplicio et privatione gratiæ, quod ex se est. RESPONDEO æquivoce accipi nomen leve cum tribuitur operi bono in antecedenti et peccato in consequenti, nam opus bonum et meritorium non est leve nisi ex parte materiæ levis circa quam versatur, sed illius appretiatione est eiusmodi ut simpliciter anteponat omnibus rebus honestatem quam intendit; quodsi culpa esset levis solummodo quia furatur v.gr. rem levem, et aliunde haberet talem appretiationem pecuniæ ut illam anteponat absolute legi divinæ, cum preparatione furandi, etiamsi violaretur absolute lex divina, tale peccatum iam esset mortale et mereretur pœnam æternam. Nihilominus cum dicitur culpam levem non esse dignam æterna pœna, loquimur de culpa quæ secundum quid est culpa et secundum quid anteponit creaturam Deo; quodsi in eodem sensu dicas leve opus bonum, debes accipere opus secundum quid bonum et quo obiectum honestum secundum quid anteponatur aliis rebus, et illud constat non esse meritorium.